

AB
39194

Handwritten text: $\text{Aug} = 00$

Handwritten text: 26

Handwritten text: ~~47~~ 222

Handwritten letter: L

Handwritten text: Ein Paar von ...

Handwritten text: 1813

Large, faint, mostly illegible handwritten text at the bottom of the page, possibly containing a signature or a list of items.



957

PHAEDRI
FABULARUM
AESOPIARUM
LIBRI V.

CUM
PROGYMNASMATE POETICO,
SEU
METAPHRASI SENARIORUM.

IN USUM SCHOLARUM,
STUDIO
M. T. A.



~~~~~

L I P S I A E,  
APUD WILH. GOTTL. SOMMERUM.  
M D C C L X X I I .

12 22

THEATRI  
TABULARIUM  
ASSOCIATIONUM


PROVINCIAE SACHSIAE  
METAPHYSICA



285,







AD LECTOREM.

**F**haedrum damus scholarum in usum, ad  
optima quaeque exemplaria expressum,  
positis e regione Hexametris, quibus va-  
riandi studio, et animi oblectandi causa,  
tironum quondam ingenia exercuimus. In  
lucem ista cum profero, tu mihi, Candide  
Lector, praefandi veniam rogandus es, et  
ut personam rigidi censoris ne induas. Est  
enim, quod verear, ne in multas multo-  
rum reprehensiones incurram: quas nec  
profligabo, qui sciam, non summorum vi-  
rorum ingenio et doctrinae, quae hic in  
manus traduntur, sed tirunculis convenire.  
Consilium tamen, qui scholis, qui aetati  
esse aliquid dandum existimant, non damna-  
bunt. In optimo enim, ac plane divino  
studio (poëticen dico) aliter se exercent  
viri; aliter qui prima profodiæ rudimenta  
capiunt: suo illi apparatu utuntur, hi alieno.  
Frustra amandes pueros ad claros Scalige-

ros, ad Morhofios: metri ut leges discant, minuti ut ipsis carminis auctor sis, hortari te videntur. Vocaris ad serperastram, si de schola sis: *Polyhistora* si forte, et insigne *caput* incidas *de exercitationibus in oratione ligata instituendis*, commendabis profecto, sed iis, qui jam aere lavantur. Satis puto de his. Auctorem quod tam pressissecutus sum in metaphrasi, sic, ut versus versui respondeat, ejus quidem rei causam ex iis pervides, quae jam dixi. Consilium si a recto aberravit, erravit, nec corrigere nunc fas est. Restat, ut, quid in hac editione praestitum sit, clarius doceam. Codices veteres ac msc. si dicerem me contulisse, fallerem te, Lector: at si dico, optimas quasque editiones, non fallo. Multa in Phaedro, quae Critici confodiant, et virgula sua notent; sed et sanata pleraque. Optimis igitur vestigiis insistens, emendationes doctorum, et quae sensum minime vide-



videbantur remorari, in textum recepi. Metri praeterea, qui illius gnarus est, habitam a me cum primis rationem deprehendet: cum in senariis Phaedri, quos saepe restituimus; tum forte in nostris etiam, tametsi ab amabili illa Phaedri suavitate ac semper lenitate recedat necesse est, quod altius surgit, nec parem in apologis laudem habet. Venusini tamen defendent me vatis apologi. Carminis ex uno genere in aliud translationem suaserunt multi: si non satis felici a nobis ausu, ignosces Lector, feliciorumque admovens manum operi, fave tamen. Resecta hinc inde videbis, quae vel moribus parum salubria, vel nimis corrupta videbantur: sed ne quid libro deesset, ad calcem, si quis desideret, rejecimus. Commendari denique ob nitorem poterat liber, etsi exiguus, praesertim ob curam in tollendis, quibus plerique in usum scholarum libri scatent, mendis: tuum autem erit de his, ac caeteris judicare. Vale Lector, et conatibus nostris fave.




V I T A P H A E D R I  
EX MAITTAIRIO.

**P**haedrus patriâ Thrax, Pierio monte editus, conditione libertus, sub Imperatoribus Augusto et Tiberio vixit, inuisus Sejano, gratus Eutycho, Particuloni et Phileto. Hi quinam fuerint, nondum fatis compertum. Vetus inscriptio Romae legitur *Eutyclus Aug. Lib. Neronianus Medicus Ludi Matutini*. Phaedrus fabulas Aesopi nonnullas senariis versibus expressas, admistis passim historiis quibusdam, distribuit in quinque libros eleganter scriptos, et jocis, quorum Martialis meminit, refertos. Aetatem fatis provectam attigisse eum, constat ex eo, quod non semel de sua queratur senectute; sed quo anno natus sit et obierit, adhuc incertum est. Ex antiquis scriptoribus praeter Martialem et Avienum, nescio, an ullus Phaedri mentionem fecerit.

IUDICIA





TUDICIA ET TESTIMONIA  
DE PHAEDRO.

*Phaedrus ipse de se lib. V. 6. 42.*

Chartis nomen victurum meis, Latinis dum manebit pretium litteris.

*Particulo, aliisque, de quibus Phaedrus praef. V.*  
Vestras in chartas verba transfertis mea.

*Martialis III. Epigr. 20. de Canio.*

An aemulatur improbi jocos Phaedri?

*Avienus in praefat. fabularum suarum.*

Phaedrus etiam partem aliquam quinque in libros resolvit.

*Rittershusius in epist. dedicatoria Phaedri.*

Fabellas continet opusculum, expositas sermone Latino et puro atque genuino, in quo multas antiquae elegantiae notas impressas cernere est, multas legere sententias, ad quaslibet vitae partes utilissimas.


*Barthius XXXV. Advers. c. 21.*

De Phaedri fabulis ita judicant doctorum plerique, esse ingenuae Latinitatis, neque mentiri aevum Tiberii. In quorum ego prorsus opinione sum, licet unam et alteram subdititiam et insititiam esse jam olim notarim.

*Idem Adversar. lib. XXX. c. 22.*

Ingenuas Phaedri fabulas a prima pueritia in deliciis habui. Et immortalis amore prudentiam in tam suavibus verbis et fabulis abditam, dignam esse, quis neget?

Dan.



*Dan. Georg. Morhofius*

*in libro de Patav. Livii, pag. 158.*

Phaedrus Augusti vel Tiberii libertus, gente Thrax, Aesopi Fabulas Latinis versiculis descripsit adeo nitidis et limatis, ut nil Romanus dici scribique possit.

*Idem Polyhist. Tom. I. lib. IV. c. XII. §. 4.*

elegantissimae Latinitatis vocat, et plane aureae.

*Broukhufius ad Tibull. I. El. V. 13.*

Lepidissimus fabulator, quo amabiliorem alium nunquam extulit tellus Thracia; ne Linum, ne Orphea quidem.

Praetereo multos: clara inter eruditos nomina, *Reinesii, Pricaei, Vavassoris, Colomesii, Borrichii, Demsteri etc.* Pauci, qui ab his discrepant.

Superaddo, quia ad scopum nostrum, Viri *κρητιωτάτας* et latine doctissimi, iudicium.

*Christoph. Cellarius*

*Dissertatt. Academicar. Tom. II. p. 696.*

Si omnino, inquit, pueris dandum est, in quo ludere ac delectari possint, quod vero non tam studiis ipsorum, quam moribus sit salubre; suaserimus, ut Phaedri fabulae aetati primae proponantur, quia breves sunt, tenellos adficiunt, et quod caput est, ita elegantes ac Latinae, ut magnorum hominum iudicio nemo sit, qui ad felicem Terentii puritatem propius, quam hic ipse Phaedrus accedat. Poëta est et metro apertiore, quam comici; tamen ea simplicitate, quae profam ubique aemuletur, et omnia ejus ad profam, eodem etiam verborum paene ordine, possint applicari.

M. F. A. B.




M. FAB. QVINTILIAN.

*Institut. Orat.*

*lib. I. cap. IX.*

Aesopi fabellas narrare sermone puro, et nihil se supra modum extollente, deinde eandem gracilitatem stilo exigere condiscant: Versus primo solvere, mox mutatis verbis interpretari: rum paraphrasi audacius vertere, qua et breviare quaedam et exornare, salvo modo poëtae sensu, permittitur. Quod opus etiam consummatis professoribus difficile etc.



PHAEDRI  
FABVLARVM AESOPIARVM

LIBER PRIMUS.

PROLOGUS.


**A**ESOPUS auctor quam materiam reperit,  
 Hanc ego polivi versibus senariis;  
 Duplex libelli dos est: quod risum movet,  
 Et quod prudenti vitam consilio monet.  
 Calumniari si quis autem voluerit, 5  
 Quod et arbores loquantur, non tantum ferae;  
 Fictis jocari nos meminerit fabulis.

FAB. I.


LUPUS ET AGNVS.

Ad rivum eundem Lupus et Agnus venerant  
 Siti compulsi: superior stabat Lupus,  
 Longeque inferior Agnus: tunc fauce improba  
 Latro incitatus jurgii causam intulit.  
 Cur, inquit, turbulentam mihi fecisti aquam 5  
 Istam





PH A E D R I  
FABVLARVM AESOPIARVM



## LIBER PRIMUS.

*Prologus.*

**A**esopi magnum quod quondam invenit  
acumen,

Versibus id tentat mea pandere Musa, sonoris.

Dos libri duplex: sensus dulcedine mulcet,

Consilio prodest, docet atque informat ad usum.

Illud si forsan tu nostro in vate reprendis, 5

Quod fera non tantum, sed muta loquatur et arbor,

Hoc reputa, fictis fabellis seria nolle.

## FAB. I.

*Lupus et Agnus.*

Accessit rivum lupus acer et agnus, utrosque

Cum sitis urgeret. Supero lupus adsternit amni,

Inferior longe locus agno est. Fauce nefandus

Hic latro impulsus jurgandi quaerere causas,

Cur, inquit, (nam culpa tua est) mihi facta  
bibenti 5

A 2

Tur-

PHAEDRI FAB.

Istam bibenti? Laniger contra, timens:  
 Qui possum, quaeso, facere quod quereris,  
 Lupe?  
 A te decurrit ad meos haustus liquor.  
 Repulsus ille veritatis viribus,  
 Ante hos sex menses, male, ait, dixisti mihi. 10  
 Respondit Agnus: Equidem natus non eram.  
 Pater hercule, tuus, inquit, maledixit mihi.  
 Atque ita correptum lacerat injusta nece.  
 Haec propter illos scripta est homines fa-  
 bula,  
 Qui fictis causis innocentes opprimunt. 15

F A B. II.

RANAE REGEM PETENTES.

Athenae quum florent aequis legibus,  
 Procax libertas civitatem miscuit,  
 Frenumque solvit pristinum licentia:  
 Hinc conspiratis factionum partibus,  
 Arcem tyrannus occupat Pisistratus: 5  
 Quum tristem servitutem flerent Attici,  
 Non quia crudelis ille, sed quoniam grave  
 Omni-



Turbida aqua est? Verbis perculsus laniger: ec-  
quid

O lupe, conquereris? Jactas haec crimina falso.  
Nam liquor ille meos abs te decurrit ad haustus.  
Quid lupus? ista neget? Veri vis reppulit hostem.  
Sunt tamen, et quae nunc, inquit, maledicta re-  
cordor. IO

Nam sex sunt, paterer tua cum convicia, menses.  
Agnus ad haec: nondum, quo dicis tempore, vixi.  
At patris certe laesit petulantia, latro  
Pergit; et abreptum lacerat nece saevus iniqua.  
Haec illos propter conscripta est fabula, fictis 15  
Opprimere infontes qui caussis nequiter audent.

## F A B. II.

*Ranae regem petentes.*

Obtinuit justum legum moderamen Athenis,  
Noxia cum subito libertas miscuit urbem,  
Quodque fuit frenum, resoluta licentia sprevit.  
Conspirant partes, et civica factio surgit.  
Quid? populi oppressor Pisistratus occupat ar-  
cem. 5

Triste jugum civis flebat; non, saevior ille  
Quod foret imperio, sed onus, quod praegrave  
quodvis

Omnino infuetis onus, et coepissent queri;  
 Aesopus talem tum fabellam rettulit.

Ranae, vagantes liberis paludibus, 10

Clamore magno Regem petiere a Jove,

Qui dissolutos mores vi compesceret:

Pater Deorum risit, atque illis dedit

Parvum tigillum, missum quod subito vadis,

Motu, sonoque terruit pavidum genus. 15

Hoc mersum limo, quum jaceret diutius,

Forte una tacite profert e stagno caput,

Et explorato rege, cunctas evocat.

Illae timore posito, certatim adnatant,

Lignumque supra turba petulans insilit: 20

Quod quum inquinassent omni contumelia,

Alium rogantes regem misere ad Jovem,

Inutilis quoniam esset, qui fuerat datus.

Tum misit illis hydrum, qui dente aspero

Corripere coepit singulas. Frustra necem 25

Fugitant inertes: vocem praeccludit metus.

Furtim igitur dant Mercurio mandata ad

Jovem,

Afflictis ut succurrat. Tunc contra Deus;

Quia nolulistis vestrum ferre, inquit, bonum,

Malum



Infuetis oneri. Sentit, culpatque querelas  
Aesopus: quare fabella expromitur isthaec.

Libere oberrantes limoso in gurgite ranae 10  
A Jove sublato regem clamore petebant,

Mores qui pravos compefceret atque solutos.

Suaviter ille Deum risit pater, atque sigillum

His parvum misit. Vada quod cum lenta feriret

Delapsam subito, sonitum timuere paventes. 15

Merfa diu jacuit limo isthaec portio ligni.

E stagno tacite tandem caput extulit una,

Ut regem exploret. Reliquas simul evocat; omnes

Confestim adnarunt; positoque timore proterve

Infiliit, supraque stetit lignum ordine quaeque, 20

Turpi conspurcans regem squalore probroque.

Ab Jove regem alium qui poscat, denuo mittunt,

Quodque parum regno foret utilis iste, queruntur.

Quare illis hydram misit, qui corripit acri

Dente: necem frustra fugitant, perimuntur  
inertes. 25

Infimul ipse metus vocem praecluserat ingens.

Furtim igitur dant Mercurio mandata ferenda,

Juppiter adficietis tandem ut succurrat. At ille:

Vestrum, inquit, quia ferre bonum multo ante  
nequistis,

Malum perferte. Vos quoque o cives, ait, 35  
 Hoc sustinete, majus ne veniat malum.

## F A B. III.

## GRACULUS SUPERBUS ET PAVO.

Ne gloriari libeat alienis bonis,  
 Suoque potius habitu vitam degere,  
 Aefopus nobis hoc exemplum prodidit.

Tumens inani Graculus superbia,  
 Pennas, Pavoni quae deciderant, sustulit, 5  
 Seque exornavit; deinde contemnens suos,  
 Immiscet se pavonum formoso gregi.

Illi impudenti pennas eripiunt avi,  
 Fugantque rostris. Male multatus Graculus  
 Redire moerens coepit ad proprium genus: 10  
 A quo repulsus tristem sustinuit notam.

Tum quidam, ex illis quos prius despexerat:  
 Contentus nostris si fuisses sedibus,  
 Et quod natura dederat, voluisses pati, 15  
 Nec illam expertus esses contumeliam,  
 Nec hanc repulsam tua sentiret calamitas.



Nunc perferte malum. Pariter vos discite, cives, 30  
Discite vestra pati mala, ne graviora sequantur.

## F A B. III.

*Graculus superbus et Pavo.*

Jaçtet ne dotes alienas mente superbus,  
Viram habitu sed quisque suo traducat ut aequam,  
Exemplum nobis Aesopus prodidit isthoc.

Graculus inflatus stolido praecordia fastu,  
Quas pavo pennas e cauda amiserat, aufert. 5  
Queis cum se ornasset, stirpem adspernatus et  
ortum,

Pavonum sese formosum immisit in agmen.  
Hi pennas rapiunt volucris sine fronte, suisque  
Propellunt rostris. Male quid mulctatus? Abire  
Ad proprium notumque genus: genus attamen  
odit, 10

Unde nota, et tristis reduci toleranda repulsa est.  
Infit et ex illis, modo quos despexerat, unus:  
Contentus nostra si quondam sede fuisses,  
Aequa mente ferens, dederat natura quod ipsa,  
Nescires probrum, grave dedecus abforet illud, 15  
Nec, quam nunc sentis, ferres, o amice, repulsam.

## FAB. IV/

CANIS PER FLUVIUM CARNEM  
FERENS.

Amittit merito proprium, qui alienum ad-  
petit

Canis per flumen carnem dum ferret natans,  
Lympharum in speculo vidit simulacrum suum;  
Aliamque praedam ab alio perferri putans,  
Eripere voluit; verum decepta aviditas, 5  
Et quem tenebat ore demisit cibum,  
Nec quem petebat potuit adeo attingere.

## FAB. V.

VACCA ET CAPELLA, OVIS  
ET LEO.

Nunquam est fidelis cum potente societas,  
Testatur haec fabella propositum meum.

Vacca, et Capella, et patiens Ovis injuriae  
Socii fuere cum Leone in saltibus.

Hi quum cepissent Cervum vasti corporis, 5  
Sic est locutus, partibus factis, Leo:

Ego primam tollo, nominor quoniam Leo:  
Secundam, quia sum fortis, tribuetis mihi:

Tum



## F A B. IV.

*Canis per fluvium carnem ferens.*

Si quis avet nimium, stolidus saepe omnia perdit.

Carnem aliquando canis cum ferret flumina  
tranans,

Lympharum in speculo vultus simulacra videbat.

Alteriusque putans praedam, praedam adperit ore,

Eripere annifus. Decepta sed ista cupido est. 5

Namque cibum mittens, avida quem fauce tenebat,

Perdit et hunc, illumque nequit contingere in  
undis.

## F A B. V.

*Vacca, Capella, Ovis et Leo.*

Quid, nisi noxa gravis, socium quaesisse potentem?

Propositum antiqui testatur fabula vatis.

Bucula cum capra quondam placidaque bidente

Dicitur in saltu se consociasse leoni.

Illi cum vasto cepissent corpore cervum, 5

Coepit, qui partes faciebat, fundere verba

Haec leo : Jure meo, leo quod vocor, aufero  
primam.

Sum quoniam fortis, decet hanc tribuisse se-  
cundam.

Tuna

Tum quia plus valeo, me sequetur tertia:  
 Malo adficietur, si quis quartam tetigerit: 10  
 Sic totam praedam sola improbiras abstulit.

## F A B. VI.

## RANAE AD SOLEM.

Vicini furis celebres vidit nuptias  
 Aefopus, et continuo narrare incipit:  
 Uxorem quondam Sol quum vellet ducere,  
 Clamorem Ranae sustulere ad fidera.  
 Convicio permotus quaerit, Jupiter 5.  
 Causam querelae, quaedam tum stagni incola:  
 Nunc, inquit, omnes unus exurit lacus,  
 Cogitque miseris arida sede emori:  
 Quidnam futurum est, si crearit liberos?

## F A B. VII.

## VULPES AD PERSONAM

## TRAGICAM.

Personam tragicam forte vulpes viderat,  
 O quanta species, inquit, cerebrum non habet.  
 Hoc illis dictum est, quibus honorem, et gloriam  
 Fortuna tribuit; sensum communem abstulit.



Tum quia plus valeo, nec tertia portio deerit,  
 Noxaque erit praesto, si quarta exposcitur ulli. 10  
 Sic praedam improbitas totam aufert sola leonis.

## F A B. VI.

*Ranae ad Solem.*

Connubia ut furis vicini splendida vidit,  
 More suo Aesopus verbis est talibus orsus.

Confortem thalami cum Sol sibi jungere vellet,  
 Tollebant ranae clamorem ad sidera magnum.  
 Juppiter haec inter quaerit convicia caussam 5  
 Tam saevi luctus. Quaedam tunc incola stagni:  
 Omnes ecce! lacus sol urit et excoquit unus,  
 Emorimur sicca dudum nos sede: quid ergo,  
 Quid, similem gignat si prolem, denique fiet?

## F A B. VII.

*Vulpes ad personam tragicam.*

Personam casu tragicam vulpecula vidit.  
 O magnam, loquitur, speciem, cerebroque  
 carentem!

Hoc illis dictum, quibus est cum gloria et  
 ingens

Nomen, communem sensum fortuna negavit.

## FAB. VIII.

## LUPUS ET GRUS.

Qui pretium meriti ab improbis desiderat,  
 Bis peccat: primum quoniam indignos adjuvat,  
 Impune abire deinde quia jam non potest.

Os devoratum fauce quum haereret Lupi,  
 Magno dolore victus coepit fingulos 5  
 Inlicere pretio, ut illud extraherent malum.  
 Tandem persuasa est jurejurando Gruis,  
 Gulaeque credens colli longitudinem,  
 Periculofam fecit medicinam Lupo.  
 Pro quo quum pactum flagitaret praemium: 10  
 Ingrata es, inquit, ore quae nostro caput  
 Incolume abstuleris, et mercedem postulas.

## FAB. IX.

## PASSER ET LEPUS.

Sibi non cavere, et aliis consilium dare,  
 Stultum esse, paucis ostendamus versibus.

Oppressum ab Aquila fletus edentem graves  
 Leporem objurgabat Passer: Ubi pernicitas

Nota,



F A B. VIII.

*Lupus et Grus.*

Qui pretium meriti sibi ab improbitate reposcit,

Bis peccat: primum indignos quod dextera iuvit,

Tum quoniam haud impune potest, qui iuvit, abire.

Haeserat os cum fauce lupi, modo fauce voratum,

Illexit pretio, gravis ob tormenta doloris, 5

Cunctos, ut vellent incommoda tollere saeva.

Perfuasa est tandem, quoniam per numina jurat,

Grus, et colla gulae, res quanquam plena periculi,

Raptoris credit, certam latura medelam.

Pro qua cum peteret sibi praemia pacta, re-  
prendit 10

Sic lupus: Ingrata es, quae, cum caput ore ferocis

Abstuleris salvum, vis mercedem insuper addi.

F A B. IX.

*Passer et Lepus.*

Consilium qui dant aliis, cum damna cavere

Ipsi non norint, culpat fabella notatque.

Saeva aquila oppressit leporem, quem passer

amaros

Fundentem fletus sic objurgavit: Ubinam

Nota

Nota, inquit, illa est? quid ita cessarunt pedes? 5  
 Dum loquitur, ipsum accipiter nec opinum rapit,  
 Questuque vano clamitantem interficit.  
 Lepus semianimus, mortis in solatio:  
 Qui modo securus nostra irridebas mala,  
 Simili querela fata deploras tua. 10

## F A B. X.

## LUPUS ET VULPES JUDICE SIMIO.

Quicumque turpi fraude semel innotuit,  
 Etiam si verum dicit, amittit fidem.  
 Hoc adtestatur brevis Aesopi fabula.  
 Lupus arguebat Vulpem furti crimine:  
 Negabat illa se esse culpae proximam. 5  
 Tunc iudex inter illos fedit Simius:  
 Uterque causam cum perorassent suam,  
 Dixisse fertur Simius sententiam:  
 Tu non videris perdidisse quod petis.  
 Te credo subripuisse quod pulcre negas. 10

## F A B. XI.

## ASINUS ET LEO VENANTES.

Virtutis expers, verbis jactans gloriam,  
 Ignotos fallit; notis est derisui.  
 Venari,



Nota tua est levitas? turpe est cessare fugacem. 5  
 Dum loquitur, rapit accipiter nil tale timentem,  
 Vano et clamantem questu ferus ungue trucidat.  
 Semianimus lepus haec inter solatia mortis:  
 Qui securus eras, modo qui mala nostra proterve  
 Ridebas, simili deploras fata querela. 10

## F A B. X.

*Lupus et Vulpes, iudice Simio.*

Turpi fraude semel quicumque innotuit, ore  
 Ut dicat verum, fallax tamen esse putatur.  
 Hoc brevis Aesopi testatur fabula verbis.  
 Accusata lupo est furti de crimine vulpes,  
 Quae negat adfinem se culpae. Simius inter 5  
 Illos tum sedit iudex atque arbiter aequi.  
 Causa peroratur. Quod postquam fecit uterque,  
 Simius: haec mea fit sententia iudicis, inquit.  
 Quae petis, haud facile tibi credo perdita, raptor.  
 Te, licet ista neges, credo rapuisse, dolosa. 10

## F A B. XI.

*Asinus et Leo venantes.*

Expers virtutis, qui jactabundus honores  
 Captat, si ignotos fallit, fit fabula notis.

B

It leo

Venari, Afello comite, quum vellet Leo;  
 Contextit illum frutice, et admonuit simul,  
 Ut infuëta voce terreret feras,  
 Fugientes ipse exciperet. Hic auritulus  
 Clamorem subitum tollit, totis viribus,  
 Novoque turbat bestias miraculo:  
 Quae dum paventes, exitus novos petunt,  
 Leonis adficiuntur horrendo imperu. 10  
 Qui postquam caede fessus est, Asinum evocat,  
 Jubetque vocem premere: tunc ille insolens,  
 Qualis videtur opera tibi vocis meae?  
 Insignis, inquit, sic, ut nisi nossem tuum  
 Animum, genusque, simili fugissem metu. 15

## F A B. XII.

## CERVUS AD FONTEM,

Laudatis utiliora quae contempseris  
 Saepe inveniri, haec exerit narratio.

Ad fontem Cervus, quum bibisset, restitit  
 Et in liquore vidit effigiem suam,  
 Ibi dum ramosa, mirans, laudat cornua, 5  
 Crurumque nimiam tenuitatem vituperat,  
 Venan-



It leo venatum, lateri comes haesit afellus.

Quem leo contactum frutice admonet, ore ru-  
dentis

Terreat, infuetaque feras vt voce fatiget. 5

Lustra relinquentes, inquit, mihi praeda futuri.

Viribus auritus clamorem tollere totis.

Re mira mire turbatur bestia quaeuis,

Atque exisse locis pavor urget. Protinus omnes

Impetus horrendi premit adffigitque leonis. 10

Evocat hic asinum, cum fessus caede cruenta est.

Supprime, ait, vocem. Cui reddit mente superbus:

Qualem tu censes operam, quae praestita voce?

Ille ait, insignem; trepidum me quippe fugaffes

Ut reliquos, animum nisi nossem et stemma pa-

ternum. 15

F A B. XII.

*Cervus ad Fontem.*

Utiliora tibi, quae spernis, saepe videbis,

Quam quae collaudas: narratio id exferit ista.

Restitit ad fontem, lymphis a fonte petitis,

Cervus, et effigiem cum clarior unda referret,

Cornua miratus, ramosa et cornua laudans, 5

De tenui queritur, vitiet quod corpora, crure.

Venantum subito, vocibus conterritus,  
 Per campum fugere coepit, et cursu levi  
 Canes elusit. Silva tum excepit ferum,  
 In qua retentis impeditus cornibus, 10  
 Lacerari coepit moribus faevis canum.  
 Tunc moriens, vocem hanc edidisse dicitur:  
 O me infelicem! qui nunc demum intelligo,  
 Ut illa mihi profuerint, quae despexeram,  
 Et quae laudaram, quantum luctus habuerint. 15

## FAB. XIII.

## VULPES ET CORVUS.

Qui se laudari gaudet verbis subdolis,  
 Fere dat poenas turpi poenitentia.  
 Quum de fenestra Corvus raptum caseum  
 Comeſſe vellet, celsa residens arbore:  
 Hunc vidit Vulpes: dehinc sic occoepit loqui: 5  
 O qui tuarum, Corve, pennarum est nitor!  
 Quantum decoris corpore, et vultu geris!  
 Si vocem haberes, nulla prior ales foret.  
 At ille stultus, dum vult vocem ostendere,  
 Emisit ore caseum: quem celeriter 10  
 Dolosa Vulpes avidis rapuit dentibus.  
 Tum demum ingemuit Corvi deceptus stupor.

Hac



Territus hic subito venantum voce sonora,  
 Per spatium et campos celeri fugit ocyor aura,  
 Eluditque canes. Tum silva exceptit: alacrem  
 Hic rami impediunt, retinent qui cornua celsa. 10  
 Proinde canum saevis laceratur moribus. Isthic  
 Occumbens fertur postrema haec verba locutus:  
 Me infelicem! qui nunc intelligo demum,  
 Commoda quae tulerint, quae spernere mente  
 solebam,

Et luctus quantum, quae laude ferenda putaram. 15

F A B. XIII.

*Vulpes et Corvus.*

Subdola qui laudum deamant praeconia, turpes  
 Hi poenas solvunt, et facili poenitet olim.

Cafeus a corvo rapitur subeunte fenestram,  
 Arbore qui celsa residens cum parta comesse  
 Vellet, et id vulpes advertit, callida fari 5  
 Sic coepit: Video quas pennas? vultibus ingens  
 Corve, tuis decor est; quantum, o formose, nitoris!  
 Haud foret ulla prior, si vox accederet, ales.  
 Egregiam stolidus dum vult astendere vocem,  
 Cafeus ore cadit; rapuit quem callida vulpes, 10  
 Demergens avido confestim ventre. Dolosa  
 Tum patuit vulpes, tum demum astutia corvo.

B 3

Inge-

Hac re probatur, ingenium quantum valet,  
Virtute et semper praeualet sapientia.

## F A B. XIV.

## EX SUTORE MEDICUS.

Malus quum Sutor, inopia deperditus,  
Medicinam ignoto facere coepisset loco,  
Et venditaret falso antidotum nomine.  
Verbosis acquisiuit sibi famam strophis.  
Hic quum jaceret morbo confectus gravi 5  
Rex urbis, eius experiendi gratia,  
Scyphum poposcit: fusa dein simulans aqua,  
Antidoto miscere illius se toxicum,  
Hoc bibere iussit ipsum, posito praemio.  
Timore mortis ille tum confessus est, 10  
Non artis ulla medicum se prudentia;  
Verum stupore vulgi factum nobilem.  
Rex advocata concione haec addidit:  
Quantae putatis esse vos dementiae,  
Qui capita vestra non dubitatis credere, 15  
Cui calceandos nemo commiserit pedes?  
Hoc pertinere vere ad illos dixerim,  
Quorum stultitia quaestus impudentiae est.



Ingenium quantum valeat, res ista probabit.  
Virtutem vigilans vincit sapientia, vincit.

F A B. XIV.

*Ex Sutore Medicus.*

Dura malum vexat sutorem et perdit egestas.  
Ille loco medicum se ignoto jactat, ineptae  
Antidotum falso divendens nomine plebi.  
Verbosis hic agyrta strophis inclaruit. Urbis  
Ipsum tum regem morbus quoniam atterit, illum 5  
Evocat; et mirae videat tentamen ut artis,  
Adposcens cyathum, lymphaeque adspergine  
facta,

Antidoto simulat se commiscere venenum.  
Praemia proponens jubet epotare. Quid ille?  
Mortem formidans (quidni?) rem fassus aperte, 10  
Non artis, loquitur, medicae prudentia fecit,  
Sed vulgi stupor, haec viguit si fama per urbem.  
Omni rex populo tunc edit talia voce:  
O quanta est vobis, quanta est dementia, cives!  
Qui caput haud vestrum dubitatis credere, nemo 15  
Nemo cui plantam, stupidus quam calceet iste.  
His vere dictis incautos autumo tangi,  
Stultitia quorum se effrons audacia ditat.

B 4

F A B.

## F A B. XV.

## ASINUS AD SENEM PASTOREM.

In principatu commutando saepius  
 Nil praeter domini mores mutant pauperes,  
 Id esse verum parva haec fabella indicat.

Afellum in prato timidus pascebat senex:  
 Is hostium clamore subito territus, 5  
 Suadebat Asino fugere, ne possent capi.  
 At ille lentus, quaeso num binas mihi  
 Clitellas impositurum victorem putas?  
 Senex negavit: Ergo quid refert mea  
 Cui serviam, clitellas dum portem meas? 10

## F A B. XVI.

## OVIS, CERVUS ET LUPUS.

Fraudator nomen cum locat sponso improbo,  
 Non rem expedire, sed malum dare expetit.

Ovem rogabat Cervus modium tritici,  
 Lupo sponfore: at illa praemeruens dolum:  
 Rapere atque abire semper adfuevit Lupus: 5  
 Tu de conspectu fugere veloci impetu;  
 Ubi vos requiram, quum dies advenerit

F A B.



## F A B. XV.

*Asinus ad senem Pastorem*

Cum novus imperium princeps adipiscitur inter  
Cives, nil mutat, domini nisi nomen, egenus,  
Quoquam fit verum, parva haec fabella docebit.

Mulio decrepitis viridi pascebat asellum  
In prato, clamor timidum quem terruit hostis. 5  
Unde fugam, caperet ne raptor, suavit asello.

Lentus at ille: Meo, dic, impositurus an alter  
Sit binas dorso clitellas victor avarus?

Non puto, ait. Nil ergo, senex, nil o bone, refert,  
Clitellas dorso cui portem, dummodo portem. 10

## F A B. XVI.

*Cervus et Ovis.*

Si quid homo petiit fallax, sponfore doloso,  
Rem non expediet, cupiet mala cernere nostra.

Cervus ovem, sponfore lupo, perhibetur adisse  
Frumenti ob modium. Timuit non nescia fraudis.  
Cuncta lupus sivevit rapere, ac discedere corvus, 5  
Tu de conspectu fugis intrans avia cursu.

Ergo vbi vos, ait illa, die adveniente requiram?

## F A B. XVII.

## OVIS, CANIS ET LUPUS.

Solent mendaces luere poenas malefici.  
 Calumniator ab Ove quum peteret Canis,  
 Quem commodasse panem se contenderet;  
 Lupus citatus testis, non unum modo  
 Deberi dixit, verum affirmavit decem.  
 Ovis damnata falso testimonio,  
 Quod non debebat, solvit. Post paucos dies  
 Ovis jacentem in fovea conspexit Lupum:  
 Haec, inquit, merces fraudis a Superis datur.

## F A B. XVIII.

## F A B. XIX.

## CANIS PARTURIENS.

Habent infidias hominis blanditiae mali;  
 Quas ut vitemus, versus subiecti monent.  
 Canis parturiens, quum rogasset alteram,  
 Ut foetum in ejus tugurio deponeret,

Facile



F. A. B. XVII.

*Ovis, Canis et Lupus.*

Supplicium culpae mendacis triste propinquat.

Jacta calumnia in infontem placidamque bi-  
dentem.

A cane. Tu panem reddes, tibi qui datus olim,

Mutuo, ait; testis non deerit conscius horum.

Adstitit adfirmans lupo, et non praebuit unum, 5

Esse decem memini; quod debes, putida, solve,

Damnatur, falso perhibet cum talia testis,

Lanigera, et solvit nil debens. Illa jacentem

In fovea haud longo vidit post tempore testem.

A. Superis merces datur, inquit, debita fraudi. 10

F. A. B. XVIII.

In scholis omittitur.

F. A. B. XIX.

*Canis parturiens.*

Vitandae, tendunt quas blandimenta malorum,

Insidiae: vates monuit quod versibus hifce.

Foeta canem canis obsecrat, cum parturit, illi

Ut loca concedat tuguri, deponere foetum

Velle

Facile impetravit; dein reposcenti locum 5  
 Preces admovit; tempus exorans breve,  
 Dum firmiores posset catulos ducere.  
 Hoc quoque confumto, flagitare validius  
 Cubile coepit. Si mihi, et turbae meae  
 Par, inquit, esse potueris, cedam loco. 10

## F A B. XX.

## CANES FAMELICI.

Stultum consilium non modo effectu caret,  
 Sed ad perniciem quoque mortales devocat.  
 Corium depressum in fluvio viderunt Canes:  
 Id ut comesse extractum possent facilius,  
 Aquam coepere bibere; sed rupti prius 5  
 Periere, quam quod petierant, contingerent.

## F A B. XXI.

LEO SENEX, APER, TAURUS  
 ET ASINUS.

Quicumque amisit dignitatem pristinam,  
 Ignavis etiam jocus est in casu gravi.  
 Defectus annis, et desertus viribus  
 Leo quum jaceret, spiritum extremum trahens,  
 Aper



Velle ibi. Concedit, sedem sibi deinde repositens. 5  
 Altera porro orat breve tempus, firmior esset  
 Aetas dum catulis, quos tuto abduceret. Instat  
 Acrius hinc multo. Linquamne hoc nocta cubile?  
 Si mihi, sique meae par turbae es (consule robur)  
 Hinc cedam, fatur; si viribus utere, cedam. 10

## F A B. XX.

*Canes famelici.*

Consilium stulti vanum nihil efficit unquam.  
 Saepe ad perniciem ducit vesania mentis.  
 Pingue canes corium depressum in flumine  
 cernunt.

Extrahere annisi, foret ut proclive comesse,  
 Ebibere inceptant undas. Sed fauce priusquam 5  
 Attraherent epulum, disrupti ventre peribant.

## F A B. XXI.

*Leo senex, Aper, Taurus et Asinus.*

Cui decus amissum, cui virtus pristina, saepe  
 Ludibria ignavi, fors est quando aspera, perfert.

Exhaustus vires, longis consumptus ab annis  
 Cum leo, vicina conflictans morte, jaceret,

Ful-

Aper fulmineis ad eum venit dentibus;  
 Et vindicavit icu veterem injuriam.  
 Infestus Taurus mox confodit cornibus  
 Hostile corpus; Asinus ut vidit ferum  
 Impune laedi; calcibus frontem exerit.  
 At ille expirans: Fortes indigne tuli.  
 Mihi insultare, re, naturae dedecus,  
 Quod ferre cogor, certe bis videor mori.

## F A B. XXII.

## MUSTELA ET HOMO.

Mustela ab homine prensa, quum instantem  
 necem  
 Effugere vellet: Quaeso, inquit, parcas mihi,  
 Quae tibi molestis muribus purgo domum.  
 Respondit ille: Faceres si causa mea,  
 Gratam esset, et dedissem veniam supplici: 5  
 Nunc quia laboras, ut fruaris reliquiis,  
 Quas sunt rosuri, simul et ipsos devores,  
 Noli imputare vanum beneficium mihi:  
 Atque ita locutus, improbam leto dedit.  
 Hoc in se dictum debent illi agnoscere, 10  
 Quorum privata servit utilitas sibi,  
 Et meritum inane jactant imprudentibus.



Fulmineis vidit venientem dentibus aprum, 5  
 Qui veterem offensam truculento vindicat ictu,  
 Confodit infestis mox taurus cornibus hostem,  
 Robore quod fracto est. Impune ut vidit asellus  
 Laedi, calce ferox pariter frontem exerit. Ille  
 Exspirans: Fortes dudum insultare dolebam, 10  
 Sed te quod cogor, naturae dedecus, inquit,  
 Ferre, bis atrocem, bis diram sentio mortem.

## F A B. XXII.

*Mustela et Homo.*

Prensa homini mustela, necis perculsa timore  
 Parce, precor, dixit, nec vitam extingue: molestis  
 Muribus ecce! domum tibi purgo, sedula purgo.  
 Ille: mea faceres si causa, reddidit; esses  
 Haud invisa, ne haec caderent nunc irrita verba,  
 Sed quia relliquis saturari, noxia, fuesti,  
 Quas rodunt mures, simul ipsos dente trucidans,  
 Noli, quod stulte jaetas, benefacta putare.  
 Sic fatus, leto cautus dedit ille nocentem.

In se debebunt hoc dictum agnoscere, quorum 10  
 Privata utilitas sibi servit, inane popello.  
 Cum meritum jaectant, incautis verba daturi.

FAB. XXIII.  
CANIS FIDELIS.

Repente liberalis stultis gratus est;  
Verum peritis irritos tendit dolos.

Nocturnus quum fur panem misisset Cani,  
Obiecto tentans an cibo posset capi:  
Heus, inquit, linguam vis meam praecludere, 5  
Ne latrem pro re domini: multum falleris.  
Namque ista subita me iubet benignitas  
Vigilare, facias ne mea culpa lucrum.

FAB. XXIV.  
RANA RUPTA ET BOS.

Inops, potentem dum vult imitari, perit.

In prato quodam Rana conspexit Bovem,  
Et tacta invidia tantae magnitudinis,  
Rugosam inflavit pellem: rum natos suos  
Interrogavit, an Bove esset latior? 5  
Illi negarunt; rursus intendit cutem  
Majore nisu, et simili quaesivit modo,  
Quis major esset? illi dixerunt, Bovem.  
Novissime indignata, dum vult validius  
Inflare sese, rupto jacuit corpore. 10





## F A B. XXV.

## CANIS ET CROCODILUS.

Consilia qui dant prava cautis hominibus,  
Et perdunt operam, et deridentur turpiter,

Canes currentes bibere in Nilo flumine,  
A Corcodilis ne rapiantur, traditum est.  
Igitur cum currens bibere coepisset Canis,  
Sic Corcodilus: quamlibet lambe otio,  
Accede, pota leniter, et noli dolos,  
Inquit, vereri; at ille: facerem mehercule,  
Nisi esse scirem carnis te cupidum meae.

## F A B. XXVI.

## VULPES ET CICONIA.

Nulli nocendum: si quis vero laeferit,  
Multandum simili jure, fabella admonet.

Vulpes ad coenam dicitur Ciconiam  
Prior invitasse, et illi in patina liquidam  
Posuisse sorbitionem, quam nullo modo  
Gustare esuriens potuerit Ciconia.

Quae Vulpem cum revocasset, intrito cibo

Plenam



## LIBER PRIMUS.

85

F A B. XXV.

*Canis et Crocodilus.*

Confilio cautos qui pravo fallere tentant,  
 Perdere et hos operam, et rideri turpiter,  
 aequum est.

Currentes potare canes, crocodilus ut ipsis  
 Nenoceat, Nili fama est de flumine. Currens  
 Ergo canis veller cum tingere guttura, blande 5  
 Sic crocodilus: Ades dum lambe, et leniter, inquit,  
 Pota, nec fraudis quidquam, aut vereare pericli.  
 Hercle ita nunc facerem, responsum reddidit ille,  
 Ni carnis te avidum scirem, crocodile, caninae.

F A B. XXVI.

*Vulpes et Ciconia.*

Haud offendendum quemquam; at si laeserit alter,  
 Esse monet simili multandum fabula jure.

Coenavit quondam cum vulpe ciconia, vulpi  
 Invitata vafre. Namque adposuisse patellam  
 Narrant huic liquida cum sorbitione dolosam. 5  
 Esurit, atque nihil gustare ciconia tentat.  
 Vulpem quae revocans: intrito pascere, plena

C 2

Ecce!

Plenam lagenam posuit, huic rostrum inferens  
 Satiatur ipsa; et torquet convivam fame.  
 Quae quum lagenae collum frustra lamberet, 10  
 Peregrinam sic locutam volucrem accepimus;  
 Sua quisque exempla debet aequo animo pati.

## F A B. XXVII.

## CANIS, THESAURUS ET VULTURIUS.

Haec res avaris esse conveniens potest,  
 Et qui humiles nati dici locupletes student.  
 Humana effodiens ossa, thesaurum Canis  
 Invenit: et violarat quia Manes Deos,  
 Insecta est illi divitiarum cupiditas, 5  
 Poenas ut sanctae religioni penderet.  
 Itaque aurum dum custodit, oblitus cibi,  
 Fame est consumptus: quem stans Vulturius super  
 Fertur locutus: ô Canis, merito jaces,  
 Qui concupisti subito regales opes, 10  
 Trivio conceptus, et educatus stercore.

## F A B. XXVIII.

## VULPES ET AQUILA.

Quamvis sublimes debent humiles metuere,  
 Vindicta docili quia patet solertiae.

Vulpi-



Ecce! lagena mihi est, fatur; se protinus ipsam  
 Inferto satians rostro. Torquebat edendi  
 Ardor convivam: quae lambit colla lagenae 10  
 Dum frustra, volucris sic est peregrina locuta:  
 Aequo sunt animo sua cuique exempla ferenda.

## F A B. XXVII.

*Canis et Thesaurus et Vulturius.*

Res, isthaec pandit quam fabula, spectat avaros,  
 Quique humiles nati, captant locupletis honorem.

Ossa ferunt, humana canem effodisse: reperto  
 Tum qui thesauro, manes quod laeserat, auri  
 Concipit ingentem, qui pectora torquet, amorem. 5  
 Has sibi relligio poenas violata poposcit.  
 Aurum igitur dum custodit, nilque adpetit ore,  
 Tristitia consumunt vigilem jejunia: vultur  
 Imminet, atque jaces merito, inquit, stulte, cupisti  
 Magnorum subito qui regum pondera gazae, 10  
 Conceptus trivio canis, et de stercore cretus.

## F A B. XXVIII.

*Vulpes et Aquila.*

Est, humilem quando debent metuisse potentes,  
 Nam vindicta patet, quibus est prudentia follers.

Vulpinos catulos Aquila quondam sustulit,  
 Nidoque posuit pullis, escam ut carperent.  
 Hanc persecuta mater, orare incipit, 5  
 Ne tantum miserae luctum importaret sibi.  
 Contempsit illa, tuta quippe ipso loco,  
 Vulpes ab ara rapuit ardentem facem,  
 Totamque flammis arborem circumdedit,  
 Hosti dolorem damno miscens sanguinis. 10  
 Aquila, ut periculo mortis eriperet suos,  
 Incolumes natos supplex Vulpi tradidit.

## F A B. XXIX.

## F A B. XXX.

 RANAE METUENTES TAURORUM  
 PRAELIA.

Humiles laborant, ubi potentes dissident.

Rana in palude pugnam Taurorum intuens,  
 Heu quanta nobis instat perniciēs! ait.

Interrogata ab alia, cur hoc diceret,

De principatu cum illi certarent gregis, 5

Longeque ab illis degerent vitam boves.

Statio, ait, separata, ac diversum est genus,

Sed



Vulpinos (narrant) catulos aquila abstulit olim,  
 Quos nido ponens, pullis gratam obrulit escam.  
 Territa persequitur mater, prece supplicat, orat, 5  
 Ne tantum miserae luctum importaret. Ab alto  
 Praedatrix humilem temsit, secura pericli.  
 Vafra facem vulpes accensam prendit ab ara,  
 Celsae circumdat truncum arboris undique  
 flammis,  
 Sanguinis ut damno cruciatum misceat hosti. 10  
 Tunc aquila ereptura suos, nil reddere vulpi  
 Progeniem cessans, illaefam tradidit ultro.

## F A B. XXIX.

Quia inter obscenas, omittitur.

## F A B. XXX.

*Ranae metuentes Taurorum proelia.*

Conculcant humiles certamina saeva potentum;  
 Taurorum pugnam cum vidit rana palude,  
 Nostro pernicies capiti quanta imminet! inquit.  
 Percontante alia, cur isthoc diceret, orta  
 Cum de primatu gregis esset pugna, bovesque 5  
 Longe consueffent a ranis degere vitam?  
 Est, inquit, statio sejuncta, genusque remotum;

C 4

Sed

Sed pulsus regno nemoris, qui profugerit,  
 Paludis in secreta veniet latibula,  
 Et proculcatas obteret duro pede; 10  
 Caput ita ad nostrum furor illorum pertinet.

## FAB. XXXI.

## MILVUS ET COLUMBAE.

Qui se committit homini tutandum improbo,  
 Auxilia dum requirit, exitium invenit.

Columbae, saepe cum fugissent Milvium,  
 Et celeritate pennae vitassent necem,  
 Consilium raptor vertit ad fallaciam. 5  
 Et genus inerme tali decepit dolo:  
 Quare sollicitum potius aevum ducitis,  
 Quam regem me creatis, icto foedere,  
 Qui vos ab omni tutas praestem injuria?  
 Illae credentes, tradunt sese Milvio; 10  
 Qui regnum adeptus coepit vesci singulas,  
 Et exercere imperium saevis unguibus,  
 De reliquis tunc una: merito plectimur.



Sed regno pulsus nemoris qui fugerit, ipsa  
 In loca perveniet nostrae secreta paladis,  
 Et proculcatas duro pede conteret: omnis 10  
 Sic caput ad nostrum furor, inquit, pertinet  
 horum.

F A B. XXXI.

*Milvus et Columbae.*

Pronus ad omne nefas rerum tutela tuarum est?  
 Crede mihi, exitium reperis, non mite levamen.

Milvum fugissent alias cum faepe columbae,  
 Penna necem pernix quia devitaverat atram,  
 Consilium ad fraudem coepit convertere raptor. 5  
 Atque genus tandem dolus hic evertit inerme:  
 Quare sollicitum potius vos ducitis aevum,  
 Isto quam regem me foedere sponte creatis,  
 A noxa tutas qui praestem gnaviter omni?  
 Credunt, nec dubitant ultro se tradere milvo. 10  
 Regnum qui nactus, fatiat se carnibus harum,  
 Imperium faevis exercens unguibus. Una  
 Tunc inter reliquas: Merito sic plectimur, inquit.

## LIBER SECUNDUS.

## PROLOGUS.

**E**xemplis continetur Aesopi genus,  
 Nec aliud quicquam per fabellas quaeritur,  
 Quam corrigatur error ut mortalium,  
 Acuaturque sese diligens industria.  
 Quicumque fuerit ergo narrantis jocus,                   5  
 Dum capiat aurem, et servet propositum suum,  
 Re commendatur, non auctoris nomine.  
 Equidem omni cura morem servabo Senis:  
 Sed si libuerit aliquid interponere  
 Dictorum, sensus ut delectet varietas;                   10  
 Bonas in partes, lector, accipias velim.  
 Sic ista tibi rependet brevis gratiam,  
 Cujus verbosa ne sit commendatio,  
 Attende, cur negare cupidis debeas,  
 Modestis etiam offerre quod non petierint.           15

## FAB. I.

## JUVENCUS, LEO ET PRAEDATOR.

Super Juvencum stabat dejectum Leo,  
 Praedator intervenit, partem postulans:  
 Darem, inquit, nisi soleres per te fumere,

Et



## LIBER SECUNDUS.

*Prologus.*

**U**titur exemplis Aesopus, factaque monstrat  
 Fabellis ludens; alio non fine disertus,  
 Quam gens errores mortalis ut exuat, acremque  
 Intendat curam mens dedita rebus honestis.  
 Proinde jocus quisquis fuerit narrantis, acutas, 5  
 Propositum servans, capiat dum naviter aures,  
 Non aequae auctoris placeat tibi nomine, sed re.  
 Omni cura equidem senis adsimulare studebo  
 Ingenium: at si quid lubet interponere, sensus  
 Res ut dispariles oblectent; talia, lector, 10  
 Te placidum si das, facies aequique bonique.  
 Gratia nec deerit facto: brevitatem rependam.  
 Hinc verbosa nec haec sit commendatio: verum  
 Tu mentem attendes, cupidus cur dote carere  
 Debeat, et nullam poscens, cur dote beari. 15

FAB. I.

*Juencus, Leo et Praedator.*

Stat super occisum leo martius ungue juencum.  
 Praedator partem veniens sibi postulat. Ille:  
 Acciperes, solito faceres nisi more rapinas,

Red-

Et improbum rejecit. Forte innoxius  
 Viator est deductus in eundem locum, 5  
 Feroque viso rettulit retro pedem.  
 Cui placidus ille: Non est quod timeas, ait:  
 Et quae debetur pars tuae modestiae,  
 Audacter tolle, tunc diviso tergore,  
 Silvas petivit, homini ut accessum daret. 10  
 Exemplum egregium prorsus et laudabile,  
 Verum, est aviditas dives, et pauper pudor.

## F A B. II.

ANUS DILIGENS VIRUM AETATIS ME-  
DIAE ITEM PUELLA.

A foeminis utcunque spoliari viros,  
 Ament, amentur, nempe exemplis discimus.  
 Aetatis mediae quendam mulier non rudis  
 Tenebat, annos celans elegantia;  
 Animosque ejusdem pulchra juvenis ceperat. 5  
 Ambae videri dum volunt illi pares,  
 Capillos homini legere coepere invicem.

Qui



Reddit; et invisum praeda arcet. Forte viator  
 Cursum innoxius accelerat, deductus eodem, 5  
 Qui viso actutum coepit retroire leone.

Cui leo: quod timeas, non est, nam posse mereri  
 Te partem credo, tua tanta modestia: tolle,  
 Tolle tibi audacter. Diviso et protinus ipse  
 Terrore, ut accessum pavido daret, abdita  
 quaerit. 10

Exemplum egregium prorsum et laudabile.

Verum

Dives avaritia est, pudor alget honestus egerque.

## F A B. II.

*Anus diligens virum aetatis mediae,  
 item Puella.*

Discimus exemplis, spoliet quod foemina semper,  
 Sive amet illa virum, seu vir deamarit amantem.

Aetatis mediae quendam haud infcita teneret  
 Cum mulier, cultu celans, quid vixerit aevi;  
 Pulchra virum juvenis pariter quem ceperat:  
 ambae 5

Quaerentes, illi esse pares, in vertice palmis  
 Gnavae hominis legere alternis coepere capillos.  
 Qui

Qui se putaret pingi cura mulierum  
 Calvus repente factus est. Nam funditus  
 Canos Puella, nigros Anus evellerat. 10

## F A B. III.

## H O M O E T C A N I S.

Laceratus quidam morfu vehementis canis,  
 Tinctum cruore panem misit malefico,  
 Audierat esse quod remedium vulneris.  
 Tunc sic Aesopus: noli coram pluribus  
 Hoc facere canibus, ne vos vivos devorent, 5  
 Cum scierint esse tale culpae praemium.  
 Successus improborum plures allicit.

## F A B. IV.

## A Q U I L A, F E L E S E T A P E R.

Aquila in sublimi quercu nidum fecerat,  
 Feles, cavernam naeta, in media pepererat:  
 Sus nemoricultrix foetum ad imam posuerat,  
 Tum fortuitum illud Feles contubernium  
 Fraude, et scelesta sic evertit malitia. 5  
 Ad nidum scandit volucris. Pernicies, ait,  
 Tibi paratur, forsan et miserae mihi,

Nam



Qui cura sese cum fingi credidit harum,  
 Calvus fit subito: nam canos fraude puella  
 Funditus evellit, nigros anus improba vulsit. 10

## F A B. III.

*Homo et Canis.*

Dente canis rabido laceratus membra, nocenti  
 Panem mittebat, mananti in sanguine tinctum,  
 Morsu quam laesis cognoverat esse medelam.  
 Aesopus cernens: Ne coram pluribus, inquit,  
 Hoc canibus facito; nam vivos agmine facto 5  
 Culpae si scierint haec praemia, credo, vorabunt.  
 Allicit improbitas plures, successibus utens.

## F A B. IV.

*Aquila, Felis et Aper.*

Nidum aquila in quercu sublimi fecerat: abdit  
 In media partum feles, ibi nacta cavernam,  
 Sus etiam ponit vastatrix, ponit ad imam.  
 Fortuita haec talis conjunctio fraude dirempta est:  
 Nimirum evertit vicinas callida technis 5  
 Feles; ad nidum quae scandens, triste volucris  
 Nuntiat exitium, fors et sibi triste futurum.

Cer-

Nam fodere terram quod vides quotidie  
 Aprum insidiosum, quercum vult evertere,  
 Ut nostram, in plano, facile progeniem oppri-  
 mat. 10

Terrore offuso, et perturbatis sensibus,  
 Derepit ad cubile fetosae Suis;  
 Magno, inquit, in periculo sunt nati tui;  
 Nam simul exieris pastum, cum tenero grege,  
 Aquila est parata rapere porcellos tibi. 15  
 Hunc quoque timore postquam complevit locum,  
 Dolosa tuto condidit sese cavo.

Inde evagata noctu, suspenso pede,  
 Ubi esca se replevit, et prolem suam,  
 Pavorem simulans, prospicit toto die. 20

Ruinam metuens Aquila, ramis desider:  
 Aper rapinam vitans, non prodit foras,  
 Quid multa? inedia sunt confumti cum suis,  
 Felisque catulis largam praebuerunt dapem.

Quantum homo bilinguis saepe concinnet  
 mali, 25

Documentum habere stulta credulitas potest.



Cernis, ait, fodere adfidue quod dente protervum,  
Sunt apri infidiae, qui vult evertere quercum,  
Frogeniem in plano truculentus ut opprimat.

Ingens IO

Huic postquam offusus terror, turbataque sensus  
Est aquila, acta retro suis intrat vafra cubile.  
Exitium natis, inquit, crudele paratur.  
Nam simul exieris, foetum pastura tenellum,  
Porcellos rapiet, rapiet Jovis armiger. Aequae IS  
Hunc sibi visa locum postquam est compleffe  
timore,

Subdola mente cavo se tuto condere feles,  
At pede suspenso noctu digressa vagatur.  
Replevit sese, prolem replevit vbi esca,  
Aegra die toto prospectat et anxia vultu. 20  
In ramis aquilam residem formido ruinae  
Derinet, ac sobolis tenet aprum cura tuendae.  
Sic cum prole fames consumsit et abstulit ambos,  
Ac felis catulis sat larga hinc obtigit esca.  
Saepe malum videas grave concinnare bilin-  
guem. 25

Ergo o credulitas, animo haec documenta repone.

## FAB. V.

## CAESAR AD ATRIENSEM.

Est Ardelionum Romae quaedam natio  
 Trepide concursans, occupata in otio,  
 Gratis anhelans, multa agendo nihil agens,  
 Sibi molesta, et aliis odiosissima.  
 Hanc emendare, si tamen possum, volo. 5  
 Vera Fabella, pretium est operae attendere.

Caesar Tiberius cum petens Neapolim  
 In Misenensem villam venisset suam,  
 Quae monte summo posita Luculli manu,  
 Prospectat Siculum, et prospicit Tuscum mare. 10  
 Ex alticinētis unus atriensibus,  
 Cui tunica ab humeris linteo Pelusio  
 Erat destrieta, cirris dependentibus,  
 Perambulante laeta Domino viridia,  
 Alveolo coepit ligneo conspergere 15  
 Humum aestuantem, come officium jactans:  
 Sed deridetur. Inde notis flexibus,  
 Praecurrat alium in xystum, sedans pulverem.

Agno-



F A B. V.  
 OR *Caesar ad Arriensem.*

Non unus Romae ardelio, sed natio Romae est.  
 Cursat quae trepide, trepidam otia lenta fatigant,  
 Multa agit, atque nihil: nam gratis semper anhelat,  
 Turba molesta sibi atque aliis. Temeraria, dictis  
 Si vacat, auscultet, nam mores fabula vera 5  
 Corrigit: est operae pretium huc advertere  
 mentem.

Caesaris ut Tiberi stat mente Neapolin isse,  
 In Misenensem villam, quam possidet, itur.  
 Villa manu posita est Luculli in vertice montis,  
 Et Siculum et Tuscum mare spectat. Ibi ambu-  
 lat unus. 10

E numero illorum, qui servant atria, cinctus  
 Alte, humeris tunicam Pelusia lintea stringunt  
 Cui deorsum, cirris pendentibus: ambulat istic.  
 Ambulat et Dominus laetis hinc inde viretis.  
 Ligneo humum alveolo sitientem adspargere  
 navus. 15

Coepit, et officium putat istuc come videri.  
 Derident cuncti. Sed notis flexibus inde  
 Mox alium in xystum praecurrens, sedat et illic

Agnoscit hominem Caesar, remque intelligit.

Id ut putavit esse, nescio quid boni: 20

Heus, inquit Dominus; ille enim vero adfilit,

Donationis alacer certae gaudio.

Tum sic locuta est tanti Majestas ducis:

Non multum egisti, et opera nequicquam perit:

Multo majores alapae mecum veneunt. 25

FAB. VI.

AQUILA FT CORNIX.

Contra potentes nemo est munitus satis;

Si vero accessit confiliator maleficus,

Vis et nequitia quicquid oppugnant, ruit.

Aquila in sublime sustulit testudinem,

Quae cum abdidisset cornea corpus domo, 5

Nec ullo pacto laedi posset condita,

Venit per auras Cornix, et propter volans;

Opimam sane praedam rapuisti unguibus,

Sed



Pulverem. Ibi agnoscit Caesar, sentitque negoti  
 Caussam: homo laetatur, subita spe plenus et  
 ardens. 20

Heus! inquit Dominus; Domino nempe adsi-  
 lit ille.

Certa alacrem stimulat donatio, gaudia trudent.  
 Tum Ducis est tanti majestas voce jocata:

Non multum egisti, ac certum est, operam hancce  
 perisse.

Nam mihi multo alapas majoris vendere mos  
 est. 25

## F A B. VI.

*Aquila, Cornix et Testudo.*

Nemo satis contra validos munitus: euntque,  
 Improbis accessit si consiliator; iniqua  
 Oppugnat si vis, si nequitia, omnia pessum.

Secum aquila in sublime rapit testudinem: at illa  
 Condiderat testae quoniam sub tegmine corpus,  
 Tuta latens hostis vim sentit corpore nullam.

Juxta aquilam crocicans volitabat in aëre cornix.  
 Quae: quam cepisti praedam unguibus, inquit,  
 opima est.

Sed nisi monstraro, quid sit faciendum tibi,  
 Gravi nequicquam te lassabis pondere. **IO**  
 Promissa parte, suadet ut scopulum super  
 Altis ab Astris duram inlidat corticem,  
 Qua comminuta facile vescatur cibo,  
 Inducta verbis Aquila, monitis paruit,  
 Simul et magistrae large divisit dapem. **IS**  
 Sic tuta quae naturae fuerat munere,  
 Impar duabus occidit tristi nece.

## F A B. VII.

## MULI ET LATRONES.

Muli gravati sarcinis ibant duo,  
 Unus ferebat fiscos cum pecunia:  
 Alter tumentes multo saccos hordeo.  
 Ille onere dives, celsa cervice eminens,  
 Clarumque collo jaclans tintinnabulum:  
 Comes quieto sequitur et placido gradu.  
 Subito latrones ex insidiis advolant,  
 Interque caedem ferro mulum trusitant:

Diri-



At nisi monstraro, laeta quæ sorte fruaris,  
 Te tua nequicquam lassabit pondere praeda. 10  
 Pars ubi promissa est: scopulum super, inquit, ab  
 altris

Illidendus hic est cortex; sic grata profundet  
 Pabula diffractus. Verbis inducta moneantis  
 Testam aquila illidit: quæ postquam est fracta,  
 repertae

Larga dapis, sese recreat, recreatque magistram. 15  
 Sic quam naturæ dixisses munere tutam,  
 Occidit, infestis impar deprensa duabus.

## F A B. VII.

*Muli et Latrones.*

Ibant mole sua duo muli terga gravati.  
 Quorum unus dorso fiscos multo aere repletos,  
 Turgentes alter fert saccos, hordeo onustus.  
 Eminent excelsa, qui gazae pondera gestat,  
 Cervice, et jactat sua tintinnabula collo. 5  
 Qui comes est, gressu sequitur placido atque  
 quieto.

Turba ex infidiis prorupit saeva latronum.  
 Ensis: adest, ensis, mulum quoque trufitat ensis.

Diripiunt nummos, negligunt vile hordeum.  
 Spoliatus igitur casus quum fleret suos, IO  
 Equidem, inquit alter, me contemptum gaudeo,  
 Nam nil amisi, nec sum laesus vulnere.

Hoc argumento tuta est hominum tenuitas,  
 Magnae periculo sunt opes obnoxiae.

## F A B. VIII.

## CERVUS AD BOVES.

Cervus nemorosus excitatus latibulis,  
 Ut venatorum fugeret instantem necem,  
 Caeco timore proximam villam petit,  
 Et opportuno se bovili condidit.  
 Hic Bos latenti, quidnam voluisti tibi, 5  
 Infelix, ultro qui ad necem cucurreris,  
 Hominumque tecto spiritum commiseris?  
 At ille supplex: vos modo, iuquit, parcite;  
 Occasione rursus erumpam data.  
 Spatium diei noctis excipiunt vices: IO  
 Frondem bubulcus adfert, nec ideo videt:  
 Eunt



Praeda viris nummi: transitur pabulo onustus.  
 Casum cum fleret spoliatus ab hoste, gementi 10  
 Spretum, ait alter, habes socium; sed gaudeo  
 spretum,

Nil quando amisi, nec foedum vulnere tergum est.  
 -Vulgus, ut ista docent, tutum est ignobile,  
 magnis

Undique cum rebus funesta pericula surgunt.

## F A B. VIII.

*Cervus et Boves.*

Excitus in saltu cervus clamore, cruentam  
 Si vitare necem venantum forte daretur,  
 Ad villam cursu tendit, quae proxima silvae est.  
 Heic opportuno se condidit ille bovili.

Cui bos abstruso: Quid caeca mente furem 5  
 Impulit, ut vitae tantum discrimen adires?  
 Ecquid enim hic speras, hominum cum tecta  
 petisti?

Ille bovi supplex: Modo, ait, vos parcite; cursu  
 Praecipiti erumpam, fugae idonea tempora nactus.  
 Consumptae spatium lucis nox excipit atra. 10  
 Deinde bubulcus adest cum fronde; sed ille latebat

D 5

Tutus:





Tutus: eunt redeuntque omnes; nil rustica turba,  
 Nil cernit quisquam: transit quoque villicus; ille  
 Nec sentit quidquam. Cervi quis gaudia narret?

Effundit grates bobus, laudatque quietos, 15

Hospitium aduerso dederint qui tempore. Salvum  
 Te cupimus sane, cervo bos rettulit; illum

Sed metuo, centum cui quod sunt lumina, corpus  
 Haud facile abscondes, noceant ne dira pericla.

Haec inter dominus, coenae post fercula, surgit. 20

Corruptosque boves quia nuper viderat, acer

Ad stabulum adcurrrens; Quid frondis conspicio?

inquit.

Ecquid stramenti? modicum deprendo. Quid istuc?

Tollere aranea quam facile est? Ibi singula scrutans

Alta videt cervi quoque cornua. Convocat ergo 25

Turbam, et eho! jugulate, inquit, jugulate.

Faceffunt.

Ille aufert praedam. Docet isthaec fabula, praesent

Quid vigiles oculi, domini quid cura, quid alter,

### *Epilogus.*

Aesopi ingenio statuum gens inclyta ponit,

Inque basi aeterna celebris locat Attica servum.

Nempe patere viam quivis ut sciret honoris,

Nec

Nec generi tribui, sed virtuti gloriam.  
Quoniam occupat alter, ne primus forem, 5  
Ne solus esset, studui quod superfuit,  
Nec haec invidia, verum est aemulatio.  
Quod si labori faverit Latium meo,  
Plures habebit, quos opponat Graeciae.  
Si livor obtrectare curam voluerit, 10  
Non tamen eripiet laudis conscientiam.  
Si nostrum studium ad aures pervenit tuas,  
Et arte fictas animus sentit Fabulas,  
Omnem querelam submoveret felicitas.  
Sin autem: ac illis doctus occurret labor, 15  
Sinistra quos in lucem natura extulit,  
Nec quicquam possunt, nisi meliores carpere,  
Fatale exitium corde durato feram,  
Donec fortunam criminis pudeat fui.

---



Nec genere adquiri, verum virtute parari.  
Praevortens studio quoniam, ne primus haberer,  
Fecit; quod superest, studui, ne solus hic esset.  
Invida non mens est, virtutis at aemula mens est.  
Nostrae si Latium favisse videbitur arti,  
Plures, Grajorum quos genti opponat, habebit.  
Obtrectare volet si curam livor iniquus,  
Ipsa sibi plaudet facti mens conscia honesti.  
Ille tuas noster si perventurus ad aures  
Est labor, atque animus fabellas sentiet arte  
Efficitas, omnis longe summota querela est.  
Sin autem: atque illis occurreret charta, sinistre  
Extulit in lucem sua quos natura, peritos  
Re nulla, nisi quod meliores carpere norunt,  
Exitium fatale feram, praecordia durans,  
Fortunam donec pudeat mihi fundere pestem.

## LIBER TERTIUS.

## PROLOGUS

## AD EUTYCHUM.

**P**haedri libellos legere, si desideras, o  
 Vacas oportet, Eutyche, a negotiis,  
 Ut liber animus sentiat vim carminis.  
 Verum, inquis, tanti non est ingenium tuum,  
 Momentum ut horae pereat officii mei. 5  
 Non ergo causa est manibus id tangi tuis,  
 Quod occupatis auribus non convenit.  
 Fortasse dices aliquae venient feriae,  
 Quae me soluto pectore ad studium vocent.  
 Legesne, quaeso, potius viles neniae,  
 Impendas curam quam rei domesticae,  
 Reddas amicis tempora, uxori vacas,  
 Animum relaxes, otium des corpori,  
 Ut adfuetam fortius praestes vicem.  
 Mutandum tibi propositum est, et vitae genus, 15  
 Intrare si Musarum limen cogitas.  
 Ego, quem Pierio Mater enixa est iugo,  
 In quo Tonanti sancta Mnemosyne Jovi

Foecun-



## LIBER TERTIUS.

*Prologus ad Eutychem.*

**S**i Phaedri volupe est manibus tractare libellos,  
Seponenda tibi rerum gravis, Eutyche,  
cura est.

Nempe animus liber vim sentit carminis. Atqui  
Ingenium tanti non est, ut debeat, inquit,  
Officiis demptum breve punctum ob talia perdi. **5**  
Non ergo caussa est, haec tangi: furda sit auris  
Non attenta rei, non prona, arrectaque: linquar.  
Otia fors an erunt, inquis; revocabit, opinor,  
Festa dies pectus studiorum ad sacra solutum.  
Hae viles potius tibi neniae, anabo, legentur, **10**  
Quam studio ut gnavo curata domestica res fit,  
Uxor te recreet, reddantur tempora amicis,  
Otia des membris tranquilla, animumque relaxes,  
Deinde vicem ut praestes adfuetam fortius? Illud  
Propositum, atque genus vitae mutare necesse  
est, **15**

Musarum ad limen si ferri prona cupido est.  
Ipse ego, quem mater rupe est enixa bicorni,  
Sancta ubi Mnemosyne novies foecunda Tonanti  
Musas

Foecunda novies artium peperit chorum,  
 Quamvis in ipsa paene sim natus schola 20  
 Curamque habendi penitus corde eraserim,  
 Nec laude invita vitam in hanc incubuerim,  
 Fastidiose tamen in coetum recipior.  
 Quid credis illi accidere, qui magnas opes  
 Exaggerare quaerit omni vigilia, 25  
 Docto labori dulce praeponens lucrum.  
 Sed jam quodcumque fuerit (ut dixit Sinon  
 Ad regem cum Dardaniae perductus foret)  
 Librum exarabo tertium Aesopi stilo.  
 Honori et meritis dedicans illum tuis: 30  
 Quem si leges laetabor: sin autem minus,  
 Habebunt certe quo se oblectent posteri.  
 Nunc Fabularum cur sit inventum genus,  
 Brevi docebo. Servitus obnoxia  
 Quia, quae volebat, non audebat dicere, 35  
 Affectus proprios in fabellas transtulit,  
 Calumniamque fictis elusit jocis.  
 Ego porro illius semitam feci viam,  
 Et



Musas effudit, praesentia numina vatum;  
 Ipse ego, paene schola sim quanquam natus in  
 ipsa, 20

Corde meo quamvis curam omnem eraserim ha-  
 bendi,

Gnavus in hanc vitam incumbens, inglorius arte  
 In coetu vix dum perfisto. Age porro quid illi  
 Esse eventurum speras, qui pervigil omni  
 Quaerit opes pacto, pondusque exaggerat auri, 25  
 Dulce lucrum docto solitus praeferre labori?

Sed jam quodcunque est (subeunt nam verba Si-  
 nonis,

Dardaniae ad regem quae ductus protulit) ecce!  
 Tertius Aesopi genio liber editus extat.

Huncce tuis sacro meritis, et dedico honori. 30

Si legere exoptas, laetabor; sin minus, aetas

Natorum veniens, quo sese oblectet, habebit.

Nunc genus inventum cur hoc, et fabula cur sit,

Ostendam breviter. Servorum obnoxia turba

Dicere, quae vellet, quia non est ausa diferte, 35

Adfectus proprius fabellis callida textit,

Dictis eludens probra et malefacta jocosis,

Semita quae modo erat, via nunc est: pluraque  
 scripsi,

E

Corde

Et cogitavi plura, quam reliquerat,  
 In calamitatem deligens quaedam meam. 40  
 Quod si accusator alius Sejano foret,  
 Si testis alius, iudex alius denique,  
 Dignum faterer esse me tantis malis,  
 Nec his dolorem delinirem remediis.  
 Suspicione si quis errabit sua,  
 Et rapiet ad se, quod erit commune omnium,  
 Stulte nudabit animi conscientiam:  
 Huic excusatum me velim nihilominus,  
 Neque enim notare singulos mens est mihi,  
 Verum ipsam vitam, et mores hominum ostendere.  
 Rem me profectum dicet fors aliquis gra- 50  
 Si Phryx Aesopus potuit, Anacharsis Scy-  
 Aeternam famam condere ingenio suo:  
 Ego, literatae qui sum propior Graeciae,  
 Cur somno inertis deseram patriae decus? 55  
 Threïssa cum gens numeret auctores suos,  
 Linoque Apollo sit parens; Musa Or-  
 pheo,  
 Qui saxa cantu movit et domuit feras,

Hebri-



Corde agitata meo, quam sunt Phrygis arte  
reperta.

Pars delecta meam in cladem, et solatia damni. 40

Quodsi alius mihi Sejano accusator, et essent

Si testes alii, atque alius si denique iudex;

Ipsè malis dignum me tantis esse faterer,

Nec quaerenda forent nostro haec fomenta dolori.

Suspicio si qua est quorundam in pectore, falso 45

Ut rapiant ad se, verè quod spectat ad omnes,

Nudant hì mentem, cuius sit conscia facti.

Verum excusatum volo me nihilominus illis.

Singula non tango, refugit mens singula. Vitam

Ipsam hominum nobis moresque offendere,  
mens est. 50

Rem tibi forte gravem vano molimine tento.

At famam Aefopus si Phryx, Scythae siue Ana-  
charxis

Aeternam ingenio potuerunt condere; tentem

Quidni ego, qui propior sum doctis Hellade Musis?

Ergo decus patriae cur somno deseram inertis, 55

Cum sua sit genti Threissae docta caterva,

Sit Lino Apollo parens, docto quoque Musa sit  
Orpheo?

Ille autem cantu quid movit? saxa ferasque.

III

E 2

Nonne

Hebrique tenuit imperus dulci mora.

Ergo hinc abesto, livor, ne frustra gemas: 60

Quoniam mihi solemnis debetur gloria.

Induxi te ad legendum: sincerum mihi,  
Candore noto, reddas iudicium peto.

## FAB. I.

## ANUS AD AMPHORAM.

Anus jacere vidit epotam Amphoram,

Adhuc Falerna fece, e testa nobili

Odorem quae jucundum late spargeret:

Hunc postquam totis avida traxit naribus:

O suavis anima! quale in te dicam bo-  
num 5

Antehac fuisse, tales cum sint reliquiae?

Hoc quo pertineat, dicet, qui me noverit.

## FAB. II.

## PANTHERA ET PASTORES.

Solet a despectis par referri gratia.

Panthera imprudens olim in foveam deci-  
dit,

Videre agrestes: alii fustes congerunt,

Alii



Nonne mora dulci tardatus et impetus Hebri?  
 Quare hinc torve, gemas ne frustra, livor abesto. 60  
 Nam mihi sollempnis debetur gloria. Verbis  
 Induxi, ut legeres: sincerum posco legentis  
 Iudicium; ac reddet notus tuus, Eutyche, candor.

## F A B. I.

*Anus ad Amphoram.*

Amphoram anus cernens epotam, fece falerna  
 Insigni e testa, qualem Samos inclyta mittit,  
 Spargentem late, qui nares pascit, odorem,  
 Naribus hunc avide totis attraxit odorem.  
 Atque anima o suavis! loquitur, latitasse quid  
 in te, 5  
 Relliquiae tales tibi cum sint, augurer ante?  
 Id quo pertineat, cui noscor, proferet urbi.

## F A B. II.

*Panthera et Pastores.*

Quem nihili ducis, pro factis facta rependet.  
 In foveam male cauta cadit panthera, cadentem  
 Fustibus invadit congestis incola ruris.

Alii onerant faxis: quidam contra miseriti  
 Perituræ quippe, quamvis nemo laederet,  
 Misere panem, ut sustineret spiritum.  
 Nox infecuta est; abeunt securi domum,  
 Quasi inventuri mortuam postridie.

At illa, vires ut refecit languidas,  
 Veloci saltu fovea sese liberat, 10

Et in cubile concito properat gradu.

Paucis diebus interpositis, provolat;

Pecus trucidat: ipsos pastores necat,

Et cuncta vastans saevit irato impetu.

Tum sibi timentes, qui ferae pepercerant, 15

Damnum haud reculant, tantum pro vita ro-  
 gant.

Et illa: memini qui me faxo petierint,

Quis panem dederit. Vos timere abssistite;

Illis revertor hostis, qui me laelerant.

F A B. III.

F A B.



Pars onerat saxis: quidam tamen, utpote cuius  
 Exitium instaret nullo laedente, miserti, 5  
 Vitam ut tantisper sustentet, mittere panem.  
 Sole cadente domum securus abibat agrestis,  
 Quilibet extinguum praefagit luce furura,  
 Verum languentes ut vires illa refecit,  
 Veloci saltu fovea se liberat, acri 10  
 Praecipitans cursu, notumque cubile requirens.  
 Utque dies paucos latuit fera, provolat audax,  
 Saeva pecus truncat, pastores effera truncat.  
 Impetus atrocis dum vastat cuncta, timore  
 Expallent etiam innocui, quique ante miserti, 15  
 Damnnum utroque accipiunt, pro vita quisque pre-  
 cari.

Quo metus ille? inquit, memini, qui saxa  
 proterve  
 Jecerit, ac dederit qui panem: abfistite vosmet  
 Turbari, nocuis redeo trux, hostibus hostis.

F A B. III.

In scholis omittitur.

## FAB. IV.

## LANIUS ET SIMIUS.

Pendere ad Lanium vidit quidam Simium  
 Inter reliquas merces, atque obsonia.  
 Quaesivit quidnam saperet; tum Lanius jocans:  
 Quale, inquit, caput est, talis praestatur sapor.  
 Ridicule magis hoc dictum quam vere aestimo, 5  
 Quando et formosos saepe inveni pessimos;  
 Et turpi facie multos cognovi optimos.

## FAB. V.

## AESOPUS ET PETULANS.

Successus ad perniciem multos devocat.  
 Aesopo quidam petulans lapidem impegerat;  
 Tanto, inquit, melior. Assem deinde illi dedit.  
 Sic profecutus; plus non habeo mehercule;  
 Sed unde accipere possis monstrabo tibi. 5  
 Venit ecce dives et potens; huic similiter  
 Impinge lapidem, et dignum accipies praemium.  
 Persuasus ille, fecit quod monitus fuit.  
 Sed spes fefellit impudentem audaciam,  
 Comprensus namque poenas perfolvit cruce. 10

FAB. VI.



## F A B. IV.

*Simii caput.*

Pendentem ad lanium, lautum inter dapfile vidit  
 Simium homo; laudans obsonia, fimius ille  
 Quid saperet, quaerit. Lanus jocularibus utens:  
 Quale, inquit, caput est, talem scito esse saporem.

Ridicule magis hoc, quam vere cenfeo dictum, 5  
 Quod solet et forma praestans deterrimus esse,  
 Et facie turpis virtute insignis haberi.

## F A B. V.

*Aesopus et Petulans.*

Adfert successus multis lacrymabile damnum.

Aesopum petulans lapidis percusserat ictu,  
 Tanto, inquit, melior; simul assem praebet, et  
 addit:

Plus dederim, obstaret nisi recula parva; sed unde  
 Plus queat adquiri, monstrabo. Venire potentem 5  
 Huc cerno, lapidum qui mole perinde petatur  
 Atque ego: sic merces, qua tu laetabere, certa est.  
 His homo persuasus dictis, obtemperat, impos  
 Certe animi; tanta est cui spes sublapsa repente,  
 Crux ubi vecordem rapuit, quae crimina plectat. 10

E 5

F A B. VI.

## FAB. VI.

## MUSCA ET MULA.

Musca in temone fedit, et Mulam increpans,  
 Quam tard. es, inquit; non vis citius progredi?  
 Vide, ne dolone collum compungam tibi.  
 Respondit illa: verbis non moveor tuis;  
 Sed istum timeo, sella qui prima sedens  
 Jugum flagello temperat lento meum,  
 Et ora frenis continet spumantibus.  
 Quapropter aufer frivolum insolentiam.  
 Namque ubi strigandum est, et ubi currendum scio.  
 Hac derideri Fabula merito potest,      10  
 Qui sine virtute vanas exercet minas.

## FAB. VII.

## LUPUS AD CANEM.

Quam dulcis sit libertas breviter proloquar.  
 Cani perpasso macie confectus Lupus  
 Forte occurrit: salutantes dein invicem:  
 Ut restiterunt: unde sic, quaeso, nites,  
 Aut quo cibo fecisti tantum corporis?      5  
 Ego,



F A B. VI.

*Musca et Mula.*

In temone sedens sic mulam musca repellit:  
 Quam video lentam! gressus celerare memento,  
 Ni cupis, ut segni tibi pungam colla dolore.  
 Illa: parum moveor verbis, ait, hisce; timendus  
 Solus hic est fessor, cui sella est prima, flagello 5  
 Quatenus is lento juga temperat, atque lupatis.  
 Immissis ori spumantia continet ora.  
 Proinde exuta tibi sit mente audacia. Novi,  
 Sit rapide quando currendum, et quando strigendum.

Esse monet risu dignos haec fabula vanos, 10  
 Verbis qui terrent, cum virtus mascula non sit.

F A B. VII.

*Lupus et Canis.*

Dulcis libertas quam sit, monstravero paucis.  
 Forte cani occurrit lupus ut macilentus obeso,  
 Voce salutantes sese invicem, uterque resistunt.  
 Tu sic unde nites? perpastum interrogat alter;  
 Quove cibo tantum fecisti corporis? isthoc 5  
 Ore

Ego, qui sum longe fortior, pereo fame.  
 Canis simpliciter: eadem est conditio tibi,  
 Praestare domino si par officium potes.  
 Quod? inquit ille: custos ut sis liminis,  
 A furibus tuearis et noctu domum. 10  
 Ego vero sum paratus. Nunc patior nives,  
 Imbresque in filvis, asperam vitam trahens,  
 Quanto est facilius mihi sub tecto vivere,  
 Et otiosum largo satiari cibo?  
 Veni ergo mecum. Dum procedunt, adspicit 15  
 Lupus a catena collum detritum Canis.  
 Unde hoc amice? Nihil est. Dic, quaeso tamen.  
 Quia videor acer, alligant me interdium,  
 Luce ut quiescam, et vigilem cum nox venerit:  
 Crepusculo solutus qua visum est vagor, 20  
 Adfertur ultro panis: de mensa sua  
 Dat ossa dominus: frustra jactat familia,  
 Et quod fastidit quisque pulmentarium.  
 Sic sine labore venter impletur meus.  
 Age, si quo abire est animus, est licentia?

Non



Ore fames faevit, mens quanquam fortis et audax.  
Est eadem tibi conditio, canis inquit, obire

Si par officium potes, et mea munia. Quenam?

Ille refert. Vigilans ut sis in limine custos,

Nocte domus ne sit furum spoliata rapina. 10

Praesto ego; ferre nives qui cogar, cogar et imbres,

In filvis trahitur quae vita, est aspera vita.

Quanto fors melior, sub tecto vivere, largo

Se satiare cibo, pigrae dare membra quieti?

Ergo veni mecum. Cursum cum passibus urgent, 15

Colla canis tum visa lupo detrita catena.

Hoc quid, amice? Nihil. Nihil est? dic attamen,  
inquit.

Acer quod videor, folis post alligor ortus.

Luce quiescendum, vigilem quo nocte: solutus

Deinde vagor, prohibent nec fera crepuscula.

Panem 20

Cum mensae accumbant, dant ultro et largiter;

ossa

Ipse etiam dominus; quid quod, quae frustra

palatus

Respuit, aut temnunt quae pulmentaria, jactant.

Sic ventrem nullus labor est impleffe. Quid ergo?

Est animus si quo contendere, an æqua potestas? 25

Non

Non plane est, inquit. Fruere quae laudas Canis.

Regnare nolo, liber ut non sim mihi.

## F A B. VIII.

## SOROR AD FRATREM.

Praecepto monitus, saepe te confidera.

Habebat quidam filiam turpissimam,

Idemque insigni et pulchra facie filium.

His speculum in cathedra matris suppositum fuit;

Pueriliter ludentes forte inspexerant; 5

Hic se formosum jaecat, illa irascitur,

Nec gloriantis sustinet fratris jocos,

Accipiens (quid enim?) cuncta in contumeliam.

Ergo ad patrem cucurrit, laesura invicem,

Magnaue invidia criminatur filium, 10

Vir natus, quod rem seminarum tetigerit.

Amplexus ille utrumque, et carpens oscula,

Dulcemque in ambos charitatem partiens:

Quotidie, inquit, speculo vos uti volo.

Tu formam ne corrumpas nequitiae malis, 15

Tu faciem ut istam moribus vincas bonis.



Non plane. Fruere ipse, canis, quae laudibus  
effers.

Ut non sim liber, mihi nolim sceptrum potentum.

## F A B. VIII.

*Frater et Soror.*

Te sanctis monitum praeceptis inspice crebro.

Filia deformis fuit et turpissima cuidam,

Est in idem, at facie qui praestat, filias. Illi,

In cathedra positum quod matris forte videbant,

Inspiciunt speculum, puerilis ludit ut aetas. 5

Formosum jactat sese ille; irascitur illa,

Nec joca fert fratris. Tu formam laudibus ornes,

Tu nostras dotes? Probrum indignata, cucurrit

Ad patrem, laesa indigne, laesura vicissim.

Invidiaque onerat, vir natus tangere quod remio

Ille ausus, sequior quam sexus vindicet usu.

Tum pater amplectens utrumque, atque oscula

carpens,

Molles dum adfectus aequae paritur in ambos,

Saepe, inquit, speculum volo sumi; sic tamen, istam

Tu formam ut caveas vitii corrumpere, nate, 15

Moribus et faciem tu vincere, filia, cures.

## F A B. IX.

## FAB. IX.

## SOCRATES AD AMICOS.

Vulgare amici nomen; sed rara est fides.

Cum parvas aedes sibi fundasset Socrates,  
(Cujus non fugio mortem, si famam adsequar,  
Et cedo invidiae, dummodo absolvar cinis)

Ex populo sic, nescio quis, ut fieri solet: 5

Quaeso tam angustam talis Vir ponis domum?

Utinam, inquit, veris hanc amicis impleam!

## FAB. X.

POETA DE CREDERE ET NON  
CREDERE.

Periculosum est credere, et non credere.

Utriusque exemplum breviter exponam rei.

Hippolytus obiit, quia novercae creditum est.

Cassandrae quia non creditum, ruit Ilium.

Ergo exploranda est veritas multum prius, 5

Quam stulta prave judicet sententia.

Sed fabulosa ne haec vetustate elevem,

Narrabo tibi memoria quod factum est mea.

Maritus



## F A B. IX.

*Socrates ad Amicos.*

Rara fides, quanquam non rarum nomen amici.

Aedēs fundatas narrant a Socrate parvas.

(Cujus non fugio mortem, si fama sequatur,

Invidiaeque, cinis si absolvar, cedo libenter)

E populo sic nescio quis pro more: Quid istuc? 5

Quam domus angusta est tibi tali? Reddidit ille:

O utinam veris compleri posset amicis!

## F A B. X.

*Poëta de Credere et non Credere.*

Credere saepe nocet, saepe et non credere da-  
mno est.

Sunt utriusque rei memoranda exempla. Novercae

Theſeus quod credit, saeva Hippolyto imminet  
hora.

Cassandrae nemo credit, sic Troja ruebat.

Ergo quid verum, multum exploraveris ante, 5

Quam tua quid prave statuatur sententia. Verum:

Ne fors ut mendax explosa vetusta sit aetas,

Ecce, recens, visum et nobis, memorabile factum!

F

Vir

Maritus quidam cum diligeret conjugem;  
 Togamque puram jam pararet filio, 10  
 Seductus in secretum a liberto suo,  
 Sperante heredem suffici se proximum:  
 Qui cum de puero multa mentitus foret,  
 Et plura de flagitiis castae mulieris,  
 Adjecit, id quod sentiebat maxime, 15  
 Doliturum amanti, ventitare adulterum;  
 Stuproque turpi pollui famam domus.  
 Incensus ille falso uxoris crimine,  
 Simulavit iter ad villam, clamque in oppido  
 Subsedit: deinde noctu subito januam 20  
 Intravit, recta cubiculum uxoris petens,  
 In quo dormire mater natum iusserat,  
 Aetatem adultam fervans diligentius.  
 Dum quaerunt lumen, dum concursat familia,  
 Irae furentis impetum non sustinens, 25  
 Ad lectum accedit; tentat in tenebris caput.  
 Ut sentit tonsam, gladio pectus transigit.  
 Nihil respiciens, dum dolorem vindicet.  
 Lucernâ allatâ, simul adspexit filium,  
 Sanctamque uxorem dormientem cubiculo, 30  
 Sopita primo quae nil somno senserat,  
 Repraesentavit in se poenam facinoris,  
 Et



Vir quidam, uxorem magno complexus amore,  
 Cum toga jam nato, fere ephebo, pura paratur, 10  
 Seductus temere liberti fraude, subibat  
 Quem spes, pro nato fore sufficiatur ut heres.  
 Hic cum de puero mentitus multa fuisset,  
 Casta quoque est mulier probris onerata, dolorem  
 Postremo incussit, qui summus amantibus esse 15  
 Confuevit: thalamum tibi polluit, inquit, adulter  
 Atque domus famam infandus. Quid percirus ille?  
 Uxoris falso commotus crimine, villam  
 Visere se, simulat; sed clam subsedit in urbe.  
 Hinc subito intratur redeunti janua nocte, 20  
 Ac recta petitur thalami conclave, cubabat  
 Sollicitae iussu matris quo natus, ut ipsa  
 Aetatem melius nati servaret adultam.  
 Dum quaerunt lumen, concursant undique servi,  
 Mente furens, atque indomitas effusus in iras, 25  
 In tenebris caput attrectat, sentitque cubantis  
 Ut caput attonsum, per viscera trajicit enssem,  
 Nil curans aut respiciens, modo probra sit ultus.  
 At lychno allato, cum natum adspexit, ibidemque  
 Uxorem sanctam, dederat quae lumina somno, 30  
 Nil advertentem, quoniam sopor altus habebat,  
 Ultro in se sceleris poenam convertit, eidem

idem.

F 2

Incum-

Et ferro incubuit, quod credulitas frinxerat.  
 Accusatores postularunt mulierem,  
 Romamque pertraxerunt ad Centumviros. 35  
 Maligna infontem deprimit suspicio,  
 Quod bona possideat: stant patroni fortiter  
 Causam tuentes innocentis feminae.  
 A Divo Augusto tunc petiere iudices,  
 Ut adjuvaret jurisjurandi fidem; 40  
 Quod ipsos error implicuisset criminis.  
 Qui postquam tenebras dispulit calumniae,  
 Certumque fontem veritatis repperit,  
 Luat, inquit, poenas causa libertus mali;  
 Namque orbam nato, simul et privatam viro 45  
 Miserandam potius, quam damnandam existimo.  
 Quod si damnanda perscrutatus crimina  
 Pater familias esset, si mendacium  
 Subtiliter limasset, a radicibus  
 Non everisset scelere funesto domum. 50  
 Nil spernat auris, nec tamen credat statim,  
 Quandoquidem et illi peccant, quos minime  
 putes:  
 Et qui non peccant, impugnantur fraudibus.  
 Hoc admonere simplices etiam potest,  
 Opinione alterius ne quid ponderent. 55  
 Ambi-



Incumbens, quem credulitas modo s'inxerat, enfa

Infons tum mulier defertur crimine caedis:

Romam pertrahitur: summi vindicta minatur 35

Judicii, atque premit gravior suspicio, nempe

Quod bona possideat. Stant, incipiuntque rueri

Patroni infontem: defensaque fortiter infons.

Judicis a Divo tunc Augusto ora petebant,

Ut jusjurandum sancta pietate juvaret, 40

Implicitos animos quia reddat criminis error.

Dispulit opprobrii qui postquam mente tenebras,

Ac veri reperit fontem, quo fideret: atqui

Liberto, qui causa mali, inquit, poena luenda est.

Nam quae nato orba est, simul et privata marito, 45

Non damnanda, puto, est, verum miseranda: vir ille

O utinam damnanda esset studiosus ante

Crimina scrutatus, linguae et mendacia multum

Limasset; certe scelere hoc everfa nefando

Funestoque domus non a radicibus esset. 50

Auris nil spernat, nec credat protinus auris.

Quando etiam peccant, in quibus suspicio nulla est,

Et qui non peccant, fraus illos improba captat.

Hoc quoque simplicibus monitum est perquam

utile, ne qua

Occupet alterius seu fallat opinio corda. 55

Ambitio namque diffidens mortalium  
 Aut gratiae subscribit, aut odio suo.  
 Erit ille notus, quem per te cognoveris.

Haec exsecutus sum propterea pluribus,  
 Brevitate nimia quoniam quosdam offendimus. 60

FAB. XL.

EUNUCHUS AD IMPROBUM.

Eunuchus litigabat cum quodam improbo:  
 Qui super obscena dicta, et petulans jurgium,  
 Damnum infectatus est amissi corporis.  
 En, ait, hoc unum est, cur laborem validius,  
 Integritatis testes quia desunt mihi. 5  
 Sed quid fortunae, stulte, delictum arguis?  
 Id demum est homini turpe, quod meruit pati.

FAB. XII.

PULLUS AD MARGARITAM.

In sterquilinio pullus gallinaceus  
 Dum quaerit escam, margaritam repperit.  
 Jaces indigno quanta res, inquit, loco?

Hoc



Diffidet ambitio, rapit in contraria mentes.

Nunc odium vincit, nunc vincit gratia. Notus,

Notus erit demum, per te quem noveris ipse.

Fufius haec ideo nunc exponenda putavi,  
Quod nimia offendi quosdam brevitare vide-  
bam. 60

## F A B. XI.

*Eunuchus ad improbum.*

Irritat probris eunuchum ad proelia linguae

Improbis; obscenis qui verbis jurgia miscens,

Amiffi damnum quoque corporis exprobrat illi.

Ille ait: Hoc unum est, cur fortius ipse laborem,

Nullum quod video testem integritatis haberi. §

Sed quid fortunae delictum, stulte, reprendis?

Nil homini turpe est, propriae nisi crimina culpae;

## F A B. XII.

*Pullus ad Margaritam.*

In coeno pullus dum gallinaceus escam

Quaerit, concharum praefulgida bacca reperta est.

Tanta loco indigno res cerneris! inquit. Haberes,

Hoc si quis pretii cupidus vidisset tui,  
 Olim redisses ad splendorem maximum. 5  
 Ego qui te inveni, potior cui multo est cibus,  
 Nec tibi prodesse, nec mihi quicquam potes.  
 Hoc illis narro, qui me non intelligunt.

## F A B. XIII.

## APES ET FUCI, VESPA JUDICE.

Apes in alta quercu fecerant favos,  
 Hos fuci inerres esse dicebant suos.  
 Lis ad forum deducta est, Vespa iudice;  
 Quae genus utrumque nosset cum pulcherrime,  
 Legem duabus hanc proposuit partibus: 5  
 Non inconveniens corpus, et par est color,  
 In dubium plane res ut merito venerit,  
 Sed ne religio peccet imprudens mea,  
 Alveos accipite, et ceris opus infundite,  
 Ut ex sapore mellis, et forma favi, 10  
 De quibus nunc agitur, auctor horum appareat.  
 Fuci recusant, Apibus conditio placet.

Tunc



Tanti si cupidus pretii reperisset, honorem,  
 Atque exornares forte olim argentea colla. 5  
 Nunc ego te inveni, cibus est cui grator; ullo  
 Qui tibi nec pacto prosum, potes ipsa nec ullo.

Haec captent patulae, queis non intelligor,  
 aures.

## F A B. XIII.

*Apes et Fuci, Vespa judice.*

Mella favosque suos in quercu fecerat alta  
 Sedula apis: fuci sua dicunt mella. Forensis  
 Caussa fit, ac dirimi lis debet iudice vespa.  
 Quae genus hoc pulchre nosset, proponere legem,  
 Sancta, inquit, poterit lex partibus esse duabus. 5  
 Non inconueniens corpus, par forma colorque,  
 Ut merito in dubium res venerit. At mea peccet  
 Ne fors religio imprudens, vestigar ubi aequum,  
 Alvos accipite, ac ceris infundite vestrum  
 Quisque opus, ut mellis sapor, ipsa favique  
 figura 10  
 Auctorem prodar: nempe haec contentio ve-  
 stra est.  
 Fuci detrectant, sed legem apis accipit ultro.

F 5

Vespae

Tunc illa talem sustulit sententiam:

Apertum est, quis non possit, aut quis fecerit.

Quapropter apibus fructum restituo suum. 15

Hanc praeterissem fabulam silentio,

Si pactam fuci non recusassent fidem.

FAB. XIV.

AESOPUS LUDENS.

Puerorum in turba quidam ludentem Atticus

Aesopum nucibus quam vidisset, restitit,

Et quasi delirum risit: quod sensit simul

Derisor potius, quam deridendus senex,

Arcum retentum posuit in media via: 5

Heus, inquit, sapiens, expedi quid fecerim.

Concurrit populus. Ille se torquet diu,

Nec quaestionis positae causam intelligit.

Novissime succumbit. Tum victor sophus:

Cito rumpes arcum, semper si tensum habueris; 10

At si laxaris, quam voles, erit utilis.

Sic



Vespaë tum talis lata est sententia: Planum est,  
 Vestrum quis sollers, quis iners nil fecerit. Ergo  
 Fructum apibus reddo, lentum hinc abcedite  
 fuci. 15

Praetermissa foret nobis haec fabula, lentis  
 Pacta fides fucis nisi detrectata fuisset.

## FAB. XIV.

*Aesopus ludens.*

Aesopum nucibus ludentem vidit Athenis  
 In turba quidam puerorum, ac restitit, illum  
 Ceu delirantem ridens. Quod sensit ut acer,  
 Derisorque senex, non deridendus, ibi arcum  
 In medio ponit laxum, studioque retentum. 5  
 Heus! inquit, sapiens; dic, quorsum hoc, dic  
 age quorsum?  
 Concurrit populus. Se multum homo torquet,  
 eorum,

Quae catus exposcit, tarda nil mente penetrans.  
 Atque ita succumbit. Sophus ergo huic talia  
 victor:

Arcus, quem semper tendis, cito rumpitur; ille  
 Utilis est arcus, quem certo tempore laxas.

Sic

Sic lufus animo debent aliquando dari,  
Ad cogitandum melior ut redeat tibi.

## FAB. XV.

## CANIS AD AGNUM.

Inter capellas Agno balanti Canis,  
Stulte, inquit, erras, non est haec mater  
tua:

Ovesque segregatas ostendit procul,  
Non illam quaero, quae cum libitum est, con-

Dein portat onus ignotum certis mensibus,  
Novissime prolapsam effundit farcinam:  
Verum illam, quae me nutrit admoto ubere,

Fraudatque natos lacte, ne desit mihi.  
Tamen illa est potior, quae te peperit. Non  
ita est.

Unde illa scivit, niger an albus nascerer?  
Age porro, scisset, quum crearer masculus,  
Beneficium magnum sane natali dedit,  
Ut expectarem lanium in horas singulas,  
Cujus potestas nulla in gignendo fuit,

Cur



Sic aliquando animo dare fas est tempora ludi,  
 Promptior ut redeat; sique ardua, ut ardua  
 vincat.

## F A B. XV.

*Canis ad Agnum.*

Sectantem capras canis agnum objurgat, et erras  
 Stulte, inquit; matrem quid frustra hic quaeris?  
 Ovesque

Sejunctas monstrans: en harum pascua! Balans:  
 Non quaero, quae, cum libitum est, onus accipit  
 alvo,

Mensibus ignotum certis dehinc portat, et illud 5

Postremo effundit, cum sarcina praegravat; illam

Sed quaero; admoto quae me largo ubere nutrit,

Lacte suos fraudans, mihi quo fit copia. Verum

Illa est, quae peperit, potior. Non est ita. Namque

Scire ea qui potuit, niger olim an nascerer al-  
 bus? 10

Porro age si scisset, cum masculus ederet, equod

Natali munus tribuisse putabirur? Effet

Nimirum ut lanius, lanius metuendus in horas.

Cur in gignendo cui plane est nulla potestas,

Vifa

Cur hac sit potior, quae jacentis miserita est, 15  
 Dulcemque sponte praestat benevolentiam?  
 Facit parentes bonitas, non necessitas.  
 His demonstrare voluit auctor versibus,  
 Obfistere homines legibus, meritis capi.

## F A B. XVI.

## CICADA ET NOCTUA.

Humanitati qui se non accommodat,  
 Plerumque poenas oppetit superbiae.  
 Cicada acerbum noctuae convicium  
 Faciebat, solitae victum in tenebris quaerere,  
 Cayoque ramo capere somnum interdiu. 5  
 Rogata est, ut taceret. Multo validius  
 Clamare coepit. Rurfus admota prece,  
 Accensa magis est. Noctua ut vidit sibi  
 Nullum esse auxilium, et verba contemni sua,  
 Hac est aggressa garrulam fallacia. 10  
 Dormire quia me non sinunt cantus tui,  
 Sonare cithara quos putes Apolliniis,  
 Potare est animus nectar, quod Pallas mihi  
 Nuper



Visa sit hac potior, quae dulce, misera jacentis, 15  
 Praestitit officium matris, grata ubera praebens?  
 Non natura facit, bonitas facit esse parentes.

Demonstrat, si scire optas, his versibus auctor,  
 Legibus obsisti, meritum officiumque probari.

## F A B. XVI.

*Cicada et Noctua.*

Ingenium cujus durum, et tractabile non est,  
 Ob factum hunc videas non raro, expendere  
 poenas.

Percepit tristis convicia rauca cicadae  
 Noctua, quae victum sibi quaerere nocte soleret,  
 Luce cavo residens, ac fallens tempora somno. 5  
 Ut taceat clamosa, rogat; clamosior illa est.  
 Illa preces iterare suas. Quid stridula? tanto  
 Hinc accensa magis. Sibi nullum noctua cernens  
 Auxilium, atque videns contemni verba precantis,  
 Stridentem adgreditur technis ac fraude ci-  
 cadam. 10

Me quia non dormire sinunt, quos audio cantus,  
 Ipse licet cithara resonare putetur Apollo:  
 Potare est animus nectar, quae munera Pallas  
 Largita

Nuper donavit. Si non fastidis, veni,  
 Una bibamus. Illa quae ardebat fiti, 15  
 Simul cognovit vocem laudari suam,  
 Cupide advolavit; noctua egressa e cavo,  
 Trepidantem confectata est, et leto dedit.  
 Sic viva quod negarat, tribuit mortua.

## F A B. XVII.

## ARBORES IN DEORUM TUTELA.

Olim quas vellent esse in tutela sua,  
 Divi legerunt arbores. Quercus Jovi,  
 Et myrtus Veneri placuit, Phoebus laurea,  
 Pinus Cybebae, populus celsa Herculi.  
 Minerva admirans, quare steriles fumerent, 5  
 Interrogavit; causam dixit Juppiter:  
 Honore fructum ne videamur vendere.  
 At me hercule, inquit, narret quod quis voluerit,  
 Oliva nobis propter fructum est gratior.  
 Tunc sic Deorum Genitor, atque hominum Sa-  
 tor: 10  
 O nata, merito sapiens dicere omnibus,

Nisi



Largita est. Quare, nisi fastiditur, ades dum  
 Exhauri mecum. Illa siti quae tosta flagraret, 15  
 Vocis ut audivit laudem, cupide advolat. Ipsa  
 Tunc egressa cavo trepidantem noctua, passu  
 Confectata suo, capere ac demittere leto.  
 Mortua sic tandem tribuit, quod viva negarat.

## FAB. XVII.

*Arbores in Deorum tutela.*

Tutela arboribus Divum quondam obtigit,  
 ajunt.

Quisque suo arbitrio dum legit: celsa Tonanti  
 Quercus, at Idaliae myrtus, sua laurea Phoebō,  
 Et pinus Cybelae, Thebano populus alta  
 Heroi placuit. Miranti Palladi, quare. 5  
 Sumantur steriles, caussatus Juppiter hoc est:  
 Vendere ne fructu cuiquam videamur hono-  
 rem.

Cui: narret, quod quisque volet, Tritonia reddir,  
 Grator ob fructum nobis, quem praebet, oliva est,  
 Tum sic Coelicum magnus Pater, atque homi-  
 num Rex: 10

Cunctis tu merito sapiens, o nata, feraris.

G

Utile,

Nisi utile est quod facimus, stulta est gloria.  
 Nihil agere, quod non profit, Fabella ad-  
 monet.

## F A B. XVIII.

## PAVO AD JUNONEM.

Pavo ad Junonem venit, indigne ferens  
 Cantus luscinii quod sibi non tribuerit:  
 Illum esse cunctis avibus admirabilem,  
 Se derideri, simul ac vocem miserit.  
 Tunc, consolandi gratia, dixit Dea: 5  
 Sed forma vincis, vincis magnitudine;  
 Nitor smaragdi collo praefulget tuo,  
 Pictisque plumis gemineam caudam explicas.  
 Quo mi, inquit mutam speciem, si vincor  
 sono?  
 Fatorum arbitrio partes sunt vobis datae: 10  
 Tibi forma; vires aquilae; luscinio melos;  
 Augurium corvo, laeva cornici omina;  
 Omnes quae propriis sunt contentae vocibus.  
 Noli adfectare, quod tibi non est datum,  
 Delusa ne spes ad querelam recidat.

F A B.



Utile, quod facimus, si non est, gloria stulta est.  
 Nil agere ista movent, quorum haud speraveris  
 usum.

## F A B. XVIII.

*Pavo ad Junonem.*

Junonem accessit pavo, queriturque, quod ipsi  
 Luscinii cantum Dea non tribuisset; haberi  
 illum mirifice gratum, ut qui mulceat aures.

Se derideri, si vocem mittat. Ad illum

Solandum verbis Dea Jūno talibus usa est: 5

Forma tu vincis, membris ac corpore vincis.

Ecce; nitor collo praeferet ut iste smaragdi,

Panditur ut pictis tua plumis gemmea cauda!

Quo mutam speciem, cum sit sonus absonus?

inquit.

Fatorum arbitrio sunt partes cuique tributae. 10

Forma tibi, vires aquilae, cantus philomelae,

Augurium corvo, cornicique omina laeva.

Contentas propriis quas cernis dotibus omnes.

Non adfectabis temere, data quae tibi non  
 sunt,

Ad vanam recidat ne spes delusa querelam. 15

G 2

F A B.



## FAB. XIX.

## AESOPUS AD GARRULUM.

Aesopus domino, solus cum esset familia,  
 Parare coenam iussus est maturius.  
 Ignem ergo quaerens, aliquot lustravit domos:  
 Tandemque invenit, ubi lucernam accenderet,  
 Tum circumeunti fuerat quod iter longius, 5  
 Effecit brevius: namque recta per forum  
 Coepit redire: et quidam e turba garrulus,  
 Aesope, medio sole quid cum lumine?  
 Hominem, inquit, quaero, et abiit festinans, do-  
 mum.  
 Hoc si molestus ille ad animum rettulit, 10  
 Sensit profecto se hominem non visum seni,  
 Intempestive qui occupato adluserit.

FAB. XX.





*Aesopus ad Garrulum.*

Aesopus domui cum solus adesset herili,  
Coenam vult dominus maturius esse paratam.  
Ille domos aliquot lustrans, ut quaereret ignem,  
Serius invenit, sed tandem accensa lucerna.  
Tum quod iter longum fuerat circum undique  
eunti, 5  
Effecit brevius, recta redeundo, forumque  
Transcurrens. Quidam e turba tum garrulus  
adstans:  
Dic, Aesope, quid hoc? medio quid lumina  
sole?  
Quaero hominem, reddit; discessitque ocyus.  
Ille  
Si rite expendit, valeant quo dicta, molestus, 10  
Esse seni visum haud hominem, cognovit,  
inepta  
Qui joca districtae stolidae ogganniverit auri.

## ASINUS ET GALLI.

Qui natus est infelix, non vitam modo  
 Tristem decurrit; verum post obitum quoque  
 Persequitur illum dura fati miseria.

Galli Cybebes circum quaestus ducere  
 Asinum solebant bajulantem sarcinas;      S  
 Is cum labore et plagis esset mortuus,  
 Detracta pelle sibi fecerunt tympana.  
 Rogati mox a quodam, delicio suo  
 Quidnam fecissent? hoc locuti sunt modo:  
 Putabat se post mortem securum fore;      IO  
 Ecce aliae plagae congeruntur mortuo.

---



F A B. XX.

*Afinus et Galli.*

Qui miser est natus, vitam decurrere tristem  
 Cogitur, atque adeo saepe urgent aspera fata,  
 Ut nec post obitum fati inclementia cesset.

Circum asinum in quaestus Galli duxere Cy-  
 bebes.

Bajulat ille diu, gravis haeret sarcina tergo. 5  
 Cum labor et plagae tandem illi corpora solvunt,  
 Detracta Galli faciunt sibi tympana pelle.  
 Vos quid delicio, vos quid fecistis? ab illis  
 Quaerit homo. Galli cui reddunt talia: Tutum  
 Se fore crediderat post fati extrema, sed ecce! 10  
 Congerimus post fata alias in tergo plagas.

## LIBER QUARTUS.

## FAB. I.

## DE MUSTELA ET MURIBUS.

**J**oculari tibi videtur: et sane leve,  
 Dum nihil habemus majus, calamo ludimus,  
 Sed diligenter intueri has nenas,  
 Quantam sub illis utilitatem reperiēs?  
 Non semper ea sunt, quae videntur; decipit 5  
 Frons prima multos: rara mens intelligit,  
 Quod inferiore condidit cura angulo.  
 Hoc ne locutus sine mercede existimer,  
 Fabellam adjiciam de mustela et muribus.

Mustela quum annis et senecta debilis 10  
 Mures veloces non valeret adsequi,  
 Involuit se farina, et obscuro loco  
 Abjecit negligenter. Mus escam putans  
 Adsiluit, et compressus occubuit neci.

Alter



## LIBER QUARTUS.

F A B. I.

*De Mustela et Muribus.*

**Q**uod jocularè puras, sane est: nam ludere,  
qui nil

Majus habet, calamo fœvèit levioè. Quid ergo?  
Neniæ erunt? Forfan: sed quas qui discutit,  
olim

Sentiet excussas non utilitate carere.

Non ea sunt semper, quæ credis: prima subinde 5  
Frons fallit; mens rara videt, quæ condidit acris  
Cura, nec interior cuivis patet angulus. Id  
quod

Ne videar frustra, ac sine mercede effelocutus,  
Mustelam et mures tibi sistet fabula nostra.

Veloces mustela nequit cum prendere  
mures, 10

Debilis ætate, involuit sua membra farina,  
Atque loco obscuro, tanquam neglecta foret res,  
Abjecit sese. Cui mus (nam censuit escam)  
Adfilit, atque neci occumbit compressus: eosdem

G 5

1b

Alter fimiliter; deinde perit et tertius. 15

Aliquot secutis, venit et retorridus,  
 Qui saepe laqueos, et muscipula effugerat,  
 Proculque infidias cernens hostis callidj:  
 Sic valeas, inquit, ut farina es, quae jaces.

## FAB. II.

## VULPES ET UVA.

Fame coacta vulpis alta in vinea  
 Uvam adpetebat summis saliens viribus;  
 Quam tangere ut non potuit, discedens ait:  
 Nondum matura est; nolo acerbam sumere.  
 Qui facere quae non possunt, verbis elevant, 5  
 Adscribere hoc debebunt exemplum sibi.

## FAB. III.

## EQUUS ET APER.

Equus sedare solitus quo fuerat fitim,  
 Dum sese Aper volutat, turbavit vadum.  
 Hinc orta lis est. Sonipes iratus Fero,  
 Auxilium petiit hominis: quem dorso levans,  
 Rediit ad hostem. Jactis hunc telis eques. 5  
Post-



In laqueos alter, mox tertius incidit: et sic  
 Intereunt multi. Mus deinde retorridus, olim  
 Qui laqueos ac muscipula evitare füesset,  
 Has procul insidias cernens, scomma ingerit hosti:  
 Sic valeas, ut sponte jaces, simulata farina.

## F A B. II.

*Vulpes et Uva.*

Ex alta, stimulante fame, vulpecula vite  
 Adfiliens summis petit uvam viribus. Ore  
 Quam cum non tangit, discedens talia jactat:  
 Maturam video nondum, et fastidio acerbam.

Qui, cum quid factu non proclive, elevat ore,<sup>5</sup>  
 Exemplum summo sibi jure adscribere debet.

## F A B. III.

*Equus et Aper.*

Flumen, equus sedare sitim quo suserat, intrat  
 Torvus aper, turbatque vadum, sese amne volutans.  
 Lis hinc orta. Fero sonipes iratus, in hostem  
 Suppetias hominis ciet; adgrediturque, levato  
 Sponte homine, infensum. Quem teli cuspide

postquam

5

Stra-

Postquam interfecit, sic locutus traditur:

Laetor tulisse auxilium me precibus tuis:

Nam praedam cepi, et didici, quam sis utilis.

Atque ita coëgit frenos invitum pati.

Tum moestus ille: parvae vindictam rei 10

Dum quaero demens, servitutem repperi.

Haec iracundos admonebit Fabula,

Impune potius laedi, quam dedi alteri.

F A B. IV.

P O E T A.

Plus esse in uno saepe quam in turba boni,

Narratione posteris tradam brevi.

Quidam decedens tres reliquit filias:

Unam formosam, et oculis venantem viros:

At alteram lanificam, et frugi rusticam: 5

Devotam vino tertiam, et turpissimam.

Harum autem matrem fecit heredem senex,

Sub conditione; totam ut fortunam tribus

Aequaliter distribuatur, sed tali modo:

Ne data possideant, aut fruantur; tum, simul 10

Habere



Stravit eques, verbis perhibetur talibus orsus:  
 Laetor, in auxilium precibus venisse rogantis.  
 Nam praedam cepi, atque places, quo nosceris, usu.  
 Cogit ubi invitum frenos homo mandere, moestus  
 Ille: Rei parvae dum vindictam expeto, de-  
 mens IO  
 Servitium incurri, mihi durum ac triste futurum.

Haec iracundos poterit fabella monere,  
 Impune ut laedi malint, quam dedier ulli.

## F A B. IV.

*Poëta.*

Saepe animo videas plus unum posse sagaci,  
 Quam turbam: id vobis brevis haec narratio  
 pandet.

Tres quidam natas, claudit cum fata, relinquit.  
 Una viros venans oculis, facieque decora est;  
 Altera lanifica ac frugi est et rustica; vino 5  
 Tertia devota, atque eadem turpissima vultu.  
 Ille senex matrem heredem vult esse, sub ista  
 Conditione: Tribus fortunam aequaliter illa  
 Omnem distribuat, sed et illud provida curet,  
 Ne data possideant, neve hisce fruantur; et ex  
 quo IO

Desis-

110 PHAEDRI FAB.

Habere res defierint, quas acceperint,  
 Centena matri conferant festertia.  
 Athenas rumor implet, mater sedula  
 Jurisperitos consulit. Nemo expedit,  
 Quo pacto non possideant, quod fuerit da-  
 tum, 15  
 Fructumve capiant: deinde, quae tulerint  
 nihil,  
 Quanam ratione conferant pecuniam.  
 Postquam consumpta est temporis longi  
 mora,  
 Nec testamenti potuit sensus colligi,  
 Fidem advocavit jure neglecto parens: 20  
 Seponit moechae vestem, mundum mulie-  
 brem,  
 Lavationem argenteam, Eunuchos glabros:  
 Lanificae agellos, pecora, villam, operarios,  
 Boves, jumenta, et instrumentum rusticum:  
 Potrici plenam antiquis apothecam cadis, 25  
 Domum politam, et delicatos hortulos.  
 Sic destinata dare cum vellet singulis,  
 Et adprobaret populus, qui illas noverat:  
 Aesopus media subito in turba constitit:  
 O si maneret condito sensus patri, 30  
 Quam



Defissent natae, quod quaeque tulisset, habere,  
 Centena ut matri ferrent sestertia. Athenas  
 Implevit rumor. Proin sedula Jure peritos  
 Consuluit mater. Sed rem nemo expedit ho-  
 rum,

Quo data res pacto queat haud possessa videri, 15  
 Fructu et destitui; tum quas nil vellet habere,  
 Posslet ab his quanam ratione pecunia ferri?  
 Consumpta est longi postquam mora temporis,  
 hujus

Nec testamenti foret ulli sensus apertus,  
 Jus pia neglexit mater; sed nescia fraudis, 20  
 Quae mox distribuat, seponit: Vasa lavacro,  
 Et vestem, et mundum moechae; lauta omnia,  
 glabros.

Lanificam jumenta, boves, et rustica quae sunt  
 Instrumenta, manent; villa atque operarius  
 agri.

Plena cadis manet antiquis potricem apotheca, 25  
 Hortulus excultus, domus ampla et splendida luxu.  
 Singula sic animo cum mater destinat, ultroque  
 Adplaudit populus, quod cognita triga fororum est,  
 In medio Aesopus subito adstitit. Ille, quid? o si  
 Condito, ait, patri sensus superesset, iniquo 30  
 Quam

Quam graviter ferret, quod voluntatem suam  
Interpretari non potuissent Attici?

Rogatus deinde, solvit errorem omnium:  
Domum, et ornamenta, cum venustis hortulis,

Et vina vetera date lanificae rusticae; 35

Vestem, uniones, pedisequos et caetera

Illi adsignate, vitam quae luxu trahit;

Agros, vites, et pecora cum pastoribus.

Donate moechae: Nulla poterit perpeti,

Ut moribus quid teneat alienum suis. 40

Deformis cultum vendet, ut vinum paret,

Agros abjiciet moecha, ut ornatum paret:

At illa gaudens pecore, et lanae dedita,

Quacunq[ue] summa tradet luxuriae domum.

Sic nulla possidebit, quod fuerit datum, 45

Et dictam matri conferent pecuniam,

Ex pretio rerum, quas vendiderint singulae.

Ita quod multorum fugit imprudentiam,

Unius hominis repperit follertia.



Quam ferat hoc animo, male quod percepta vo-  
luntas

Civibus, ac mens fit nulli intellecta. Rogatus,  
Errorem ut solvat, verba haec de pectore fundit:  
Aedes conspicuas, hortorum laeta vireta,  
Priscaque lanificae datae vina, ac munera Bacchi. 35  
Servitium, et cultum, gemmas, vestemque de-  
coram

Adsignate, trahit quae vitam prodiga luxu.  
Pastores pecorum, pecus, et cum viribus agros,  
Moecha ferat. Poteritque pati, me iudice, nulla,  
Ut rem possideat tam alienam moribus. Unde 40  
Cultum deformis vendet, sibi vina praeoptans.  
Abjiciet moecha, ornatum ut sibi comparet, agros.  
Quae pecori addicta est et lanae dedita, plenas  
Tradet luxurie summa tibi qualibet aedes.  
Sic data res poterit velut haud possessa videri, 45  
Dictaque erit matri collata pecunia, rerum  
Ex pretio illarum, quas vendere quaeque stu-  
debit.

Sic imprudentes quod multos fugerat, uni  
Perceptum; atque hebetes acuit sollertia pru-  
dens.

F A B . I V .

PUGNA MURIUM ET MUSTELARUM.

Cum victi mures Mustelarum exercitu  
(Quorum in tabernis historia depingitur)

Fugerent, et artos circumtrepidarent cavos,  
Aegre recepti, tamen evaserunt necem.

Duces eorum, qui capitibus cornua      5

Suis ligarant, ut conspicuum in praelio  
Haberent signum, quod sequerentur milites,  
Haesere in portis, suntque capti ab hostibus.

Quos immolatos victor avidis dentibus  
Capacis alvi merfit tartareo specu.      10

Quemcunque populum tristis eventus premit,  
Periclitatur magnitudo principum;  
Minuta plebes facili praefidio lateret.

F A B .    V I .

P O E T A .

Tu qui nasute scripta destringis mea,

Et hoc jocorum legere fastidis genus,

Parva libellum sustine patientia,

Severitatem frontis dum placo tuae,

Et in cothurnis prodit Aesopus novis.      5

Utinam



## F A B. V.

*Pugna Murium et Mustelarum.*

Mustelae urgebant mures, exercitus ingens,

Victos, historia est veluti depicta tabernis.

Arros unde cavos trepidant circum; atque re-  
ceptis,

Quanquam aegre, interitum datur hac ratione  
cavere.

Non itidem ducibus. Capiti nam quisque ligarat 5

Cornua, conspicuum, quod quisque sequatur,  
haberet

Ut signum miles, duri in certamine belli.

Portis illi haerent, et praeda trahuntur ab hoste;

Qui saevus victor: nam dentibus immolat, alvi

Tartareo solitus specori demergere captos. 10

## F A B. VI.

*Poëta.*

Tu mea qui, nasute, soles destringere scripta,

Et joca fastidis, haec quae sibi scriptio poscit,

Te paullum obdurans, patere aequa mente li-  
bellum,

Tristem dum placo frontem, moresque severos.

En! parat Aesopus (nova res) prodire cothurnis. 5

H 2

O uti-

Utinam nec unquam Pelii nemoris jugo  
 Pinus bipenni concidisset Theffala,  
 Nec ad profellae mortis audacem viam,  
 Fabricasset Argus opere Palladio ratem,  
 Inhospitalis prima quae Ponti sinus **10**  
 Patefecit, in perniciem Grajûm, et Barbarûm.

Namque et superbi luget Æetae domus,  
 Et regna Peliae scelere Medae jacent;  
 Quae faevum ingenium variis involvens modis,  
 Illic per artus fratris explicuit fugam; **15**  
 Hic caede patris Peliadum infecit manus.

Quid tibi videtur? hoc quoque infusum est, ais,  
 Falsoque dictum: longe quia vetustior  
 Aegea Minos classe perdomuit freta,  
 Justoque vindicavit exemplo impetum. **20**

Quid ergo possum facere tibi, lector Cato,  
 Si nec fabellae te juvant, nec fabulae?  
 Noli molestus esse omnino literis,  
 Majorem exhibeant ne tibi molestiam.

Hoc illis dictum est, si qui stulti nauseant, **25**  
 Et, ut putentur sapere, coelum vituperant.

FAB.



O utinam pinus praerupto in vertice Pelii  
 Theſſala conciderit nunquam ferro ic̄ta bipenni!  
 O via ſi nunquam leti audax ſponte profeſſa,  
 Palladioque ratis opere haud fabricata ſit Argo,  
 Ponti prima finus et inhospita littora tangens 10  
 Quae fecit, tellus ut Gyaja et barbara plangat.  
 Nam domus Æërae, luger domus iſta ſuperbi,  
 Regna jaçent Peliae, concuſſit crimine Colchis,  
 Ingenium callens quae mire involvere ſaevum,  
 Dira fugam explicuit fraternis artubus illic, 15  
 Hic Peliae natas infecit caede fatoris.  
 Quid cenſes? Pariter nemp̄ haec inſulſa videntur,  
 Diſtaque ſunt falſo: quoniam ante haec tempora

## Minos

Dudum perdomuit freta claſſe Aegea, coërcens  
 Juſto piratas exemplo, et vindice dextra. 20  
 Quid facere ergo tibi poſſum, Cato lector, inique  
 Fabellam ſi fers, ſi fabula tempta? Moleſtus  
 Doctrinae ſtudiis noli eſſe, et amantibus horum,  
 Exhibeant ne quid, mage quod queat eſſe mo-  
 leſtum.

Hoc illis dictum, ſtolide qui cuncta reprehen-  
 dunt, 25

Nec dubitant, ſapere ut credas, contemnere cœlum.

## FAB. VII.

## VIPERA ET LIMA.

Mordaciorem qui improbo dente adpetit,  
Hoc argumento se describi sentiat.

In officinam Fabri venit Vipera,  
Haec cum tentaret si qua res esset cibi,  
Limam momordit. Illa contra contumax:  
Quid me, inquit, stulta, dente captas laedere,  
Omne adfuevi ferrum quae corrodere?

## FAB. VIII.

## VULPES ET HIRCUS.

Homo simul ac venit in magnum periculum,  
Effugium reperire alterius quaerit malo.

Cum decidisset Vulpes in puteum inscia,  
Et altiore clauderetur margine,  
Devenit Hircus sitiens in eundem locum:  
Simul rogavit esset an dulcis liquor,  
Et copiosus? Illa fraudem moliens,  
Descende, amice: tanta bonitas est aquae,  
Voluptas ut satiari non possit mea.  
Immisit se Barbatus: tum Vulpecula

10

Evafit



## F A B. VII.

*Vipera et Lima.*

Se magis mordacem qui carpit dente maligno,  
Hoc se argumento describi, jure putabit.

Ad fabri venit quondam ergasteria mordax  
Vipera: si qua cibo res esset, tentat, et acri  
Dente petit limam. Multo acrius illa resistens: 5  
Ecquid, stulta, tuo me captas laedere dente,  
Aspera quae quodvis fœvi corrodere ferrum?

## F A B. VIII.

*Vulpes et Hircus.*

Callidus ancipitis si quid videt esse pericli,  
Effugium studet alterius sibi quaerere damno.

In puteum, narrant, cecidit quondam inscia

vulpes,

Margo, qui miseram concluderet, altior illic.

Fortè locum ficiens ad eundem devenit hircus. 5

Qui, liquor an dulcis? contatur, an adfluat uber?

Astutum fraudem molita est callida: Quidni?

O bone, descendas; tanta est praestantia lym-

phae,

Ut mea vix haustu satiatur lenta voluptas.

Immittit sese barbatus. Nixa sed altis 10

Evafit puteo, nixa celfis cornibus,  
Hircumque claufo liquit haerentem vado.

## F A B. I X.

## D E V I T I I S H O M I N U M.

Peras impofuit Juppiter nobis duas:  
Propriis repletam vitiis post tergum dedit,  
Alienis ante pectus fufpendit gravem.  
Hac re videre noftra mala non poffumus:  
Alii fimul delinquant, cenfores fumus. 5

## F A B. X.

## F U R A R A M C O M P I L A N S.

Lucernam fur accendit ex ara Jovis,  
Ipfumque compilavit ad lumen fuum,  
Onuftus facrilegio qui quum difcederet,  
Repente vocem fancta mifit religio:  
Malorum quamvis ifta fuerint munera, 5  
Mihique invifa, ut non offendar fubripi;  
Tamen, fcelefte, fpiritu culpam lues  
Olim, quum adfcriptus venerit poenae dies.  
Sed ne ignis nofter facinori praeluceat,  
Per quem verendos excolit pietas Deos, 10  
Veto



Cornibus evadit puteo vulpecula: mansit  
 Clauso haerens moestusque vado peflundatus  
 hircus.

## F A B. IX.

*De vitiis hominum.*

Suspendisse Jovem binas in corpore peras,  
 Ajunt: repletam propriis post terga dedisse,  
 Contra quae vitiis aliorum turgeat, ipsum  
 Ante hominum pectus. Vetat hoc mala cernere  
 nostra,  
 Culpamus rigidi, simulac deliquerit alter. 5

## F A B. X.

*Fur aram compilans.*

E Jovis est ara furi succensa lucerna.  
 Mox sanctum ad lumen regem compilat olympi.  
 Sacrilegus praeda qui cum discedit onustus,  
 Relligio vocem sancta edidit hance: Malorum  
 Dona licet fuerint, nobis invisaque dona, 5  
 Ut surrepta parum doleam, nec crimine laedar,  
 Quondam erit ista tamen tibi culpa luenda, scelestes.  
 Nempe adscripta dies poenae cum venerit. Atqui  
 Ne sceleri infando noster praeluceat ignis,  
 Sancta Deos pietas reverendos quo colit igne, 10

H 5

Lumi-

Veto esse tale luminis commercium.

Ita hodie nec lucernam de flamma Deum,

Nec de lucerna fas est accendi sacrum.

Quot res contineat hoc argumentum utiles,  
Non explicabit alius quam qui reperit. 15

Significat primo, saepe quos ipse alueris,  
Tibi inveniri maxime contrarios.

Secundo ostendit, scelera non ira Deum,  
Factorum dicto sed puniri tempore.

Novissime interdicit ne cum malefico 20

Usum bonus confociet ullius rei.

## F A B. XI.

## MALAS ESSE DIVITIAS.

Opes invidiae merito sunt forti viro,

Quia dives arca veram laudem intercipit.

Coelo receptus propter virtutem Hercules,

Quum gratulantes per salutasset Deos,

Veniente Pluto, qui fortunae est filius, 5

Avertit oculos: causam quaesivit Pater.

Odi, inquit, illum, quia malis amicus est,

Simulque objecto cuncta corrumpit lucro.



Luminis esse veto commercia talia posthinc.

Sic hodie sacro nulli fas igne lucernam;

Illius nec fas de flamma accendere sacrum.

Hoc argumentum in vestros quid conferat usus,  
Solutus qui reperit, non aequè ostenderit alter. 15

Significat primo, modo quos nutriveris, hostes

Saepe tibi altori nocuos existere. Porro

Ostendit, non Dis hominum scelera efferam ob  
iram

Puniri, at dicto fatorum tempore plecti.

Postremo, ne quis probus ausit cum scelerato 20

Confociare rei temere ullius, admonet, usum.

## F A B. XI.

*Malas esse Divitias.*

Magnas fortis opes vir temnit, divite ab arca

Quod laus non raro vera intercepta. Celebris

Virtute introiit coelos Tirynthius heros,

Gratantesque Deos alterna voce salutans,

Avertit vultus, fortunae filius illum 5

Plutus ubi accessit. Miratus, quaerere causam

Iuppiter. Odi, inquit; sceleratis iunctus amore est,

Atque lucro objecto corrumpit cuncta nefandus.

F A B.

## FAB. XII. XIII. XIV.

## FAB. XV.

## CAPELLAE ET HIRCI.

Barbam Capella cum impetrasset a Jove,  
 Hirci moerentes indignari coeperant,  
 Quod dignitatem foeminae aequassent suam.  
 Sinite, inquit, illas gloria vana frui,  
 Et usurpare vestri ornatum muneris,  
 Pares cum non sint vestrae fortitudinis.

5

Hoc argumentum monet, ut sustineas, tibi  
 Habitu esse similes, qui sunt virtute impares.

## FAB. XVI.

## GUBERNATORET NAUTAE.

Cum de fortunis quidam quereretur suis,  
 Aesopus finxit consolandi gratia.

Vexata saevis navis tempestatibus,  
 Inter vectorum lachrymas, et mortis metum,  
 Faciem ad serenam subito muratur dies.  
 Ferri secundis tuta coepit flatibus,  
 Nimiaque nautas hilaritate extollere:  
 Factus periculo tum gubernator sophus;

Parce



FAB. XII. XIII. XIV. quod partim mutilae, partim obscenae, omittuntur.

FAB. XV.

*Capellae et Hirci.*

A Jove cum barbae decus esset naeta capella,  
 Hirci moerentes animis hoc ferre moleste.  
 Ergo viros, ajunt, aequabit femina honore?  
 Hunc finite ornatum, vestros finite, inquit, honores,  
 Gloria nam vana est: usurpent munera vestra, 5  
 Dum vestram imbelles virtutem haud viribus  
 aequent.

Haec vatis te dicta monent, ne ferre recuses  
 Qui similes habitu, ratio licet indolis impar.

FAB. XVI.

*Gubernator et Nautae.*

Cum de fortunis quidam quereretur, acerbos  
 Pelleret ut luctus, Aesopus talia finxit.  
 Turbida et horrenda navis vexata procella,  
 Inter vectorum lacrymas, mortisque timorem  
 Splendescente die subito, ac redeunte sereno, 5  
 Ventorum ferri placido spiramine coepit.  
 Laetitia sese nimiaque extollere nautae.  
 Navis tum custos, cautusque sophusque periclo:  
 Parce

Parce gaudere oportet, et sensim queri,  
Totam quia vitam miscet dolor, et gaudium. 10

## F A B. XVII.

## CANUM LEGATI AD JOVEM.

Canes legatos olim misere ad Jovem,  
Melioris vitae tempus oratum suae,  
Ut sese abriperet hominum contumeliis,  
Furfuribus sibi consparsum quod panem da-  
rent,  
Fimoque turpi maximam explerent famem. 5  
Profecti sunt legati non celeri pede,  
Dum naribus scrutantur escam in stercore.  
Cirati non respondent: vix tandem invenit  
Eos Mercurius, et turbatos attrahit.  
Tum vero vultum magni ut viderunt Jovis, 10  
Totam timentes concaecarunt regiam.  
Propulsi vero fustibus, vadunt foras:  
Vetat dimitti magnus illos Juppiter.  
Mirati sibi legatos non revertier,  
Turpe aestimantes aliquid commissum a suis, 15  
Post aliquod tempus alios adscribi jubent.  
Rumor legatos superiores prodidit:  
Timentes rursus aliquid ne simile accidat,  
Odore



Parce et laeteris, sensimque queraris oportet,  
Vitam quod miscet totam dolor atque voluptas. 10

## F A B. XVII.

*Canum legati ad Jovem.*

Ad Superos est missa canum legatio quondam,  
Oratum vitae melioris tempora; noxae  
Abreptos hominum se vellet Juppiter; esse  
Quem panem objicerent, conspersum fursure;  
turpi

Saepe fimo expleri, saeva ut jejunia pellant. 5

Legati pede non celeri, quia naribus escam

Stereore scrutantur, tendunt iter: atque citati

Absunt. Vix Divum vix tandem interpres in illos

Incidit alatus, turbatosque attrahit. Ipsos

Magni tum vultus Jovis adspexere: sed opplent, 10

Opplent praetrepidi Jovis alta palatia merdis.

Fustibus expulsi, discessum mente volutant.

Quos vetuit magnus dimitti Juppiter. Illi

Mirantes, reditum sua cur legatio tardet,

Turpe suos aliquid jam commisisse putantes, 15

Post paullo adscribunt alios. Rumorque priores

Prodiderat quoniam, legis denuo ne quid

His simile accideret, damno moniti atque timentes,

Multo

Odore canibus anum, sed multo, replent:  
 Mandata dant, legati mittuntur, statim 20  
 Adeunt. Rogantes aditum, continuo impetrant.  
 Confedit genitor tum Deorum maximus,  
 Quassatque fulmen: tremere coepere omnia.  
 Canes confusi, subitus quod fuerat fragor  
 Repente odorem mixtum cum merdis ca-  
 cant. 25

Reclamant omnes, vindicandam injuriam.  
 Sic est locutus ante poenam Juppiter:  
 Non est legatos Regis non dimittere,  
 Nec est difficile poenas culpae imponere;  
 Sed hoc feretis pro judicio praemium: 30  
 Non veto dimitti: verum cruciari fame,  
 Ne ventrem continere non possint suum.  
 Illi autem qui miserunt vos tam futiles,  
 Nunquam carebunt hominis contumelia,  
 Ita nunc legatos expectant et posteri: 35  
 Novumque venire qui videt, culum olfacit.

## F A B. XVIII.

## H O M O E T C O L U B R A.

Qui fert malis auxilium, post tempus dolet.  
 Gelu rigentem quidam colubram sustulit,  
 Sinu-



Multo anum canibus, multo implent thuris odore.  
Mandant legatis: mittunt. Hi passibus illuc 20  
Tendere. Et impetrant aditum, simulatque ro-  
gabant.

Deinde Deum genitor confedit maximus ille.  
Quassatur fulmen: tremere omnia. Terruit acres  
Confuditque fragor: pavidus ergo mista repente  
Alvo demittunt, cum merdis thura cacantes. 25  
Reclamant omnes: injuria vindice digna est.  
Ante tamen poenam est sic Juppiter ore locutus:  
Legatos, regis non est, dimittere nolle.  
Nec mihi difficile, poenas imponere culpa.  
Sed pro delicto lubet isthaec praemia poni: 30  
Non vero dimitti, verum jejunia ventrem  
Attenuent, possit ne non adstrictus haberi.  
Turba autem quae vos huc misit futilis, illa  
Nunquam hominum caritura probro est, feret  
usque nocentes.  
Hinc sero expectat legatos nunc quoque latrans, 35  
Et veniente novo, alterius culum olfacit alter.

## F A B. XVIII.

*Homo et Colubra.*

Auxilio juvisse malos, fit flebilis angor.

Sustulerat colubram quidam olim frigore laesam.

I

Quam

Sinuque fovit; contra se ipse misericors.  
 Namque ut refecta est, necuit hominem protinus.  
 Hanc alia quum rogaret causam facinoris. 5  
 Respondit: Ne quis discat prodesse improbis.

## FAB. XIX.

## VULPES ET DRACO.

Vulpes cubile fodiens, dum terram eruit  
 Agitque plures altius cuniculos,  
 Pervenit ad Draconis speluncam ultimam,  
 Custodiebat qui thesauros abditos.  
 Hunc simul aspexit; Oro, ut imprudentiae 5  
 Des primum veniam; deinde, si pulcre vides,  
 Quam non conveniens aurum sit vitae meae,  
 Respondeas clementer, quem fructum capis  
 Hoc ex labore, quodve tantum est praemium,  
 Ut careas somno et aevum in tenebris exigas? 10  
 Nullum, inquit ille: verum hoc a summo mihi  
 Jove attribatum est. Ergo nec fumis tibi,  
 Nec ulli donas quicquam? Sic fati placet.  
 Nolo irascaris, libere si dixerero:  
 Diis est iratis natus, qui est similis tibi. 15

POETA.



Quam fovet ille sinu, verum in sua damna misertus.  
 Namque resecta hominem ferali percutit ictu.  
 Scire alia, ob quam rem fecisset, ubi expetit; optet  
 Ne quis, ait, prodesse malis, mansuetior aequo.

F A B. XIX.

*Vulpes et Draco.*

Sub terram fodiens, esset quo nacta cubile,  
 Vulpes, cum lare scrobibus cavat abdita terrae,  
 Ultima pervenit tandem ad spelaea draconis,  
 Thesauris custos qui pervigil incubat. Orat,  
 Hunc simul adspexit, primum veniam. Inscia feci, 5  
 Peccatum si quid. Sentis deinde illud, opinor;  
 Aurum inconueniens vitae huic, et inutile  
 quam fit.

Ergo age clementer, quorsum labor iste? profare.  
 Quem capis hinc fructum? quae sunt tibi prae-  
 mia tanta,

Ut careas somno, vitam caligine mergas? 10  
 Fructus, ait, nullus: verum mihi Juppiter istuc  
 Muneris imposuit. Proin nec tibi sumis, opumque  
 Nil cuiquam impertis? Lex fati illa statuta est.  
 Nolo irasceris, si dixero libere; ob iram  
 Ille Deum natus, mores qui accedit ad illos. 15

## P O E T A.

Abiturus illuc, quo priores abierunt,  
 Quid mente caeca miserum torques spiritum?  
 Tibi dico, avare, gaudium heredis tui,  
 Qui thure superos; ipsum te fraudas cibo:  
 Qui tristis audis musicum citharae sonum, 5  
 Quem tibi arum macerat jucunditas,  
 Obsoniorum pretia cui gemitum exprimunt:  
 Qui dum quadrantes aggeras patrimonio,  
 Coelum fatigas sordido perjurio:  
 Qui circumcidis omnem impensam funeris, 10  
 Libitina ne quid de tuo faciat lucrum.

## F A B. XX.

## P H A E D R U S.

Quid judicare cogitet livor modo,  
 Licet dissimulet, pulcre tamen intelligo.  
 Quicquid putabit esse dignum memoriae,  
 Aesopi dicet: Si quid minus adriserit,  
 A me contendet fîctum quovis pignore. 5  
 Quem volo refelli jam nunc responso meo:  
 Sive hoc ineptum, sive laudandum est opus,  
 Inve-



*Poëta.*

Disceffurus eo, quo discessere priores,  
 Quid miserum torques animum, et cruciatibus  
 angis?

Tecum, o avare, loquor, de quo laetabitur heres,  
 Thura Diis, ventrique cibum qui demis, et aure  
 Vocalem odisti citharam, cui musicus omnis 5  
 Est sonus ingratus, quem tibia macerat, ingens  
 Cui pretium obsoni gemitum exprimit, aggere  
 facto

Qui dum quadrantes densas, patrimonia densas,  
 Intrepide coelum perjura mente fatigas.  
 Funeris impensam qui circumcidis, ut ingens 10  
 Ne Libitina lucrum faciat, quando ossa relinquis.

F A B. XX.

*Phaedrus.*

Cogitet invidiae quid secum pallida tabes,  
 Dissimulet quamvis, scire est proclive. Quod illi  
 Visum erit egregium, aut dignum, ut nullo exci-  
 dat aevo,

Aesopi dicet; quae contemnenda putabit,  
 Haec quovis a me contendet pignore ficta. 5  
 Quem sic censentem teneo, hac ratione refellens:  
 Sive opus egregium est, seu livor censet ineptum,

I 3

Phryx

Invenit ille : nostra perfecit manus.  
Sed exsequamur coeptum propositi ordinem.

## F A B. XXI.

## NAUFRAGIUM SIMONIDIS.

Homo doctus in se semper divitias habet.  
Simonides, qui scripsit egregium melos,  
Quo paupertatem sustineret facilius,  
Circumire coepit Urbes Asiae nobiles,  
Mercede accepta laudem victorum canens. 5  
Hoc genere quaestus postquam locuples factus est,  
Venire in patriam voluit cursu pelagio,  
(Erat autem natus, ut ajunt, in Cea insula)  
Ascendit navem: quam tempestas horrida  
Simul et vetustas medio dissolvit mari. 10  
Hi zonas, illi res pretiosas colligunt,  
Subsidium vitae. Quidam curiosior:  
Simonide, tu ex opibus nil sumis tuis?  
Mecum, inquit, mea sunt cuncta. Tunc pauci ena-  
tant,  
Quia plures onere degravari perierant. 15  
Praedones adsunt; rapiunt quod quisque extulit;  
Nudos relinquunt. Forte Clazomenae prope  
Anti-



Phryx ille invenit, manus haec inventa polivit.  
Sed quod propositum est, tandem exsequor ordine  
coepto.

F A B. XXI.

*Naufragium Simonidis.*

Largus opam, quisquis doctrina excellit et arte.  
Fama inter vates celebrata Simonidis, artis  
Rebus qui pressus, fortunae ut damna levaret,  
Urbes quondam Asiae coepit circuire celebres,  
Pacto ornans pretio victorum carmine laudes. 5  
Hoc locuples quaestu, patriam (nam saepe recurrit  
Ejus amor) voluit decurso invisere ponto.  
Ediderat vero, ut perhibent, Cea insula vatem.  
Adscendit navem, tempestas horrida solvit  
Quam medio in pelago, dissolvit et ipsa verustas. 10  
Hi zonas, illi rapiunt pretiosa, futurae  
Subsidium vitae. Fuit et qui commoda curans  
Non sua, sed vatis: Tibi nulla, Simonide, habetur  
Cura rei? nil ex opibus tibi fumis et aufers?  
Mecum, inquit, mea sunt. Pauci evasere natan-  
tes, 15  
Pondere nam magno plures periere gravati.  
Praedones adsunt, rapiunt, quae salva per undas,  
14 Nudos

Antiqua fuit Urbs, quam petierunt naufragi :  
 Hic literarum quidam studio deditus,  
 Simonidis qui saepe versus legerat, 20  
 Eratque absentis admirator maximus,  
 Sermone ab ipso cognitum cupidissime  
 Ad se recepit; veste, nummis, familia  
 Hominem exornavit: Caeteri tabulam suam  
 Porrant, rogantes victum, quos casu ob-  
 vius 25  
 Simonides, ut vidit: Dixi, inquit, mea  
 Mecum esse cuncta; vos quod rapuistis, perIt.

## FAB. XXII.

## MONS PARTURIENS.

Mons parturibat genitus immanes ciens,  
 Eratque in terris maxima expectatio,  
 At ille murem peperit. Hoc scriptum est tibi,  
 Qui, magna cum minaris, extricas nihil.

## FAB. XXIII.

## FORMICA ET MUSCA.

Nil agere quod non profit, fabella indicat,  
 Formica et Musca contendebant acriter,  
 Quae pluris esset: Musca sic coepit prior:  
 Conferre nostris tu potes te laudibus?

Ubi



Nudos rellinquant. Fors Clazomenae hifce pro-  
pinqua

Urbs anriqua fuit, petiit quam naufraga turba.

Hic quidam infixus ftudiis ac pronus in artes, 20

Mufa oblectarat quem faepe Simonidis, ejus

Dudum admirator, quamvis longe inde remoti,

Ut caefis cognofce datum eft fermonibus, ultro

Excipit, et lautis exornat dives egentem

Donis. At reliqui tabulam portare, rogantes, 25

Praebeat ut victum civis. Quibus obvius ille :

Dixi, inquit, vobis, mea quod fint omnia mecum.

Vos cupide quidquid rapuiftis, fugit in auras.

F A B. XXII.

*Mons parturiens.*

Parturiens late gemitus mons fudit amarus.

Maximaque in terris fuit expectatio rerum.

At pariens murem excuffit. Tibi fabula fcripta eft,

Qui nihil extricas, orbi cum magna minaris.

F A B. XXIII.

*Formica et Mufca.*

Contendunt verbis formica et mufca, fit utra

Pluris habenda. Prior fic coepit mufca : Tuasne

Jure potes laudes noftris aequare? Deorum

Viftima quando cadit, praegufto ego pingua, fanctis

I 5

Deo

Ubi immolatur, exta praegusto Deum: 5  
 Moror inter aras, templa perlustro omnia;  
 In capite Regis sedeo, cum visum est mihi,  
 Et matronarum casta delibo oscula:  
 Laboro nihil, atque optimis rebus fruor.  
 Quid horum simile tibi contingit, rustica? 10  
 Est gloriosus sane convictus Deum,  
 Sed illi qui invitatur, non qui invisus est.  
 Reges commemoras, et matronarum oscula:  
 Ego granum in hiemem cum studiose congero,  
 Te circa murum video pasci stercore. 15  
 Aras frequentas; nempe abigeris, quo venis;  
 Nihil laboras, ideo cum opus est, nil habes;  
 Superba jactas, tegere quod debet pudor.  
 Aestate me laceffis, cum bruma est files:  
 Mori contractam cum te cogunt frigora, 20  
 Me copiosa recipit incolumem domus.  
 Satis profecto retudi superbiam.  
 Fabella talis hominum discernit notas  
 Eorum, qui se falsis ornant laudibus,  
 Et quorum virtus exhibet solidum decus. 25

FAB. XXIV.



Dego locis, iustrans templa et penetralia quaevis. 5  
 In capite est magni sedes mihi libera regis,  
 Sunt matronarum, quae delibo oscula casta,  
 Otia lenta sequor, lautis tamen affluo rebus.  
 Num tibi contingit simile horum, rustica, quid-  
 quam?

Gloria convictus Divum praeclara putanda est, 10  
 Verum invitato, non est qui invisus honori est.  
 Narras et reges, matronarum oscula narras.  
 Sed quando in brumam granum mihi colligo, circa  
 Quid murum video? video te stercore pasci.  
 Sunt arae sedes; abigi tamen undique cerno. 15  
 Otia sunt; ideo nihil est, cum postulat usus.  
 Jaetas, quod sane foret effutisse pudori.  
 Irritas aestate, files quando aspera bruma est.  
 Saeva mori quoties torpentem frigora cogunt,  
 Me domus incolumem recipit mea, rebus abun-  
 do. 20

Sat retudi fastus tumidos, atque improba verba.

Haec fabella notas hominum discernit, et esse  
 Ostendit, falsis qui sese laudibus ornent,  
 Esse etiam, quorum non fallit splendida virtus.

## FAB. XXIV.

## SIMONIDES A DIIS SERVATUS.

Quantum valerent inter homines literae,  
 Dixi superius: quantus nunc illis honos  
 A superis fit tributus, tradam memoriae.

Simonides, idem ille, de quo rettuli,  
 Victoris laudem cuidam pyctae ut scriberet, 5  
 Certo condixit pretio: secretum petit:  
 Exigua cum frenaret materia imperum,  
 Ufus poëtae more est et licentia,  
 Atque interposuit gemina Ledaë fidera,  
 Auctoritatem similis referens gloriae 10  
 Opus adprobavit, sed mercedis tertiam  
 Accepit partem; cum reliquum posceret;  
 Illi, inquit, reddent, quorum sunt laudes duae.  
 Verum ut ne irate dimissum te sentiam,  
 Ad coenam mihi promitte; cognatos volo 15  
 Hodie invitare, quorum es in numero mihi.  
 Fraudatus quamvis, et dolens injuria,  
 Ne male dimissam gratiam corrumperet,  
 Promisit: rediit hora dicta; recubuit.  
 Splendebat hilare poculis convivium: 20  
 Magno apparatu laeta resonabat domus.

Repen-



F A B. XXIV.

*Simonides a Diis servatus.*

Quantum homines inter valeat, qui clarus ab  
arte,

Id supra ostensum: nunc quem dicantur honorem  
Dî tribuisse, brevi pandam, et memorabo futuris.

Mentio jam nobis injecta Simonidis ante.

Ille idem pyctae victori carmine laudes 5

Scripturus, pretio condicto, se abdidit intro.

Materia exigua frenatur ubi imperus, aequam

Vati quam dicunt, illi usurpata potestas.

Nam gemina innectit fulgentia fidera Ledaë,

Extiterit similis quorum in certamine virtus. 10

Pyctae opus insinuat vates: pars tertia vati

Pro mercede datur. Reliquum poscente poeta,

Illi, inquit, quorum duo sunt praeconia, reddent.

Verum dimisso sedear tibi ne qua simulas,

Ad coenam promitte mihi: invitare propinquos 15

Nunc animus, quorum numero tu crederis esse.

Fraudatus, quamvis injuria pectora rosit,

Ne male dimisso sit gratia perdita, pyctae

Promittit, dictaque redit hora, atque recumbit.

Poclis splendebant, festo et convivia luxu. 20

Laeta domus resonat. Subito hinc duo pulvere

parsi

Adsta-

Repente cum juvenes duo sparsi pulvere,  
 Sudore multo defluentes corpora,  
 Humanam supra formam, cuidam servulo  
 Mandant, ut ad se provocet Simonidem: 25  
 Illius interesse, ne faciat moram.  
 Homo perturbatus excitat Simonidem.  
 Unum promorat vix pedem triclinio,  
 Ruina camerae subito oppressit ceteros,  
 Nec ulli juvenes sunt reperti ad januam. 30  
 Ut est vulgatus ordo narratae rei,  
 Omnes scierunt, Numinum praesentiam  
 Vari dedisse vitam mercedis loco.

## FAB. XXV.

## P O E T A.

Superfunt mihi quae scribam, sed parco sciens,  
 Primum, esse ne tibi videar molestior,  
 Distringit quem multarum rerum varietas:  
 Dein, si quis eadem forte conari velit,  
 Habere ut possit aliquid operis residui; 5  
 Quamvis materiae tanta abundet copia,  
 Labori faber ut desit, non fabro labor.  
 Brevitatis nostrae praemium ut reddas, peto,  
 Quod es pollicitus; exhibe vocis fidem:  
 Nam vita morti propior est quotidie; 10  
 Et hoc minus perveniet ad me muneris,  
 Quo



Adstabant juvenes, sudantes corpore, multum  
Supra hominum formam. Servo, qui in limine  
stabat,

Hi mandant excire Simonidem, et insuper addunt,  
Quod multum interfit, mora ne sit lenta vocato. 25  
Perturbatus homo actutum vatem excitat. Unum  
Ille pedem vix promorat, triclinia linquens,  
Cum camaræ subito turba est oppressa ruina.

Repperti juvenes omnino ad limina nulli.  
Hujus fama rei magnum vulgata stuporem 30  
Attulit, atque fidem, praesentia numina vitam  
Viveret ut vates, id pro mercede dedisse.

## FAB. XXV.

*Poëta.*

Multa quidem superesse scio, sed multa relinquo.  
Primum, ne videar nimis esse molestus habenti  
Rerum, quae varie distringunt pectora, curas.  
Tum si quis nostris conatibus aemulus alter  
Accedat, ne materiam sibi deesse queratur. 5

Quamvis materiae tam copia larga redundat,  
Non opus ut fabro desit, verum faber illi.  
Nostrae mercedem brevitati postulo. Vocis  
Ergo fidem exhibeas, servans promissa. Pro-  
pinquat

Mors, et mortali solet hora quotidie adesse. 10  
Hoc minus ergo tui venturum est maneris ad me,  
Tem-

Quo plus confumet temporis dilatio.  
 Si cito rem perages, usus fiet longior:  
 Fruar diutius, si celerius coepero.  
 Languentis aevi dum sunt aliquae reliquiae, 15  
 Auxilio locus est: olim senio debilem  
 Frustra adjuvare bonitas niteretur tua,  
 Cum jam desierit esse beneficium utile,  
 Et mors vicina flagitabit debitum:  
 Stultum admovere tibi preces existimo, 20  
 Proclivis ultro cum sit misericordia,  
 Saepe impetravit veniam confessus reus;  
 Quanto innocenti justius debet dari?  
 Tuae prius sunt partes, aliorum dein:  
 Similique gyro venient aliorum vices. 25  
 Decerne, quod religio, quod patitur fides,  
 Et gratulari me fac iudicio tuo.  
 Excedit animus quem proposuit terminum;  
 Sed difficulter continetur spiritus,  
 Integritatis qui sinceræ conscius, 30  
 A noxiorum premitur insolentiis.  
 Qui sint, requiris? Apparebunt tempore.  
 Ego quondam legi quam puer sententiam,  
 Palam mutire plebejo piaculum est,  
 Dum sanitas constabit, pulcre meminero. 35



Temporis absument quo plus dilatio. Fiet,  
 Si cito rem perages, ut fit mihi longior usus.  
 Acceptis fruitur, cito qui fert munera dantis.  
 Languentis reliquum nobis dum nonnihil aevi, 15  
 Auxilio locus est. Fuero cum debilis annis,  
 Niteris frustra bonitate iuvare; nec olim,  
 Magnum etsi obtuleris donum, dabis utile donum,  
 Nam fata urgebunt, ac vitam saeva reposcent.  
 Stultum, tot fundi mihi verba precantia, dudum 20  
 Cum tua fit bonitas ultro proclivis. Apertae  
 Saepe reus culpa veniam impetravit: habebit  
 Justius hanc infons. Prius has tu suscipe partes,  
 Deinde vices venient aliorum. Porro quod ipsa  
 Religio atque fides patitur, decerne: sed ipso 25  
 Posses tuo me iudicio laetari, optem.  
 Fines excedo, modo erant qui mente statuti.  
 Vocem num reprimam? cohibetur spiritus aegre,  
 Qui, recti quanquam sibi plane conscius, ausus  
 Fert sceleratorum fontes, fastumque nocentum. 30  
 Forte rogas, qui sint? Sua profert quidlibet aetas.  
 Lecta mihi puero quondam est sententia: Plebi  
 Grande nefas, mutire palam. Quam pectore, compos  
 Sanae dum fuero mentis, servabo repostam.

## LIBER QUINTUS.

P O E T A.

**C**um destinassẽm operis habere terminum  
 In hoc, ut aliis esset materiae fatis,  
 Consilium tacito corde damnavi meum  
 Nam si quis etiam talis est tituli artifex,  
 Quo pacto divinabit, quidnam omiserim, 5  
 Ut illud ipsum cupiat famae tradere:  
 Sua cuique cum sit animi cogitatio  
 Colorque proprius. Ergo non levitas mihi,  
 Sed certa ratio causam scribendi dedit.  
 Quare, Particulo, quoniam caperis fabulis, 10  
 Quas Aesopeas, non Aesopi nomino,  
 Quasi paucas ostenderit, ego plures differo,  
 Usus vetusto genere; sed rebus novis,  
 Quarum libellum dum vacive perleges,  
 Hunc obtrectare si volet malignitas, 15  
 Imitari dum non possit, obtrectet licet.  
 Mihi parta laus est, quod tu, quod similes  
 tui  
 Vestras in chartas verba transfertis mea,  
 Dignum.



## LIBER QUINTUS.

*Poëta.*

Ventum erat ad finem, nec tangere plura vo-  
lebam,

Nempe ut materiam, si fors velit, alter haberet.

Consilium tacito damnavi postmodo corde.

Talis enim studii qui possim credere amantem

Divinaturum, quae nobis sponte relicta 5

Sint, eadem ut cupiat consulto tradere famae,

Cum sua sit cuius mens atque agitatio, privus

Cuique color? Non ergo animum temere adpli-  
co, chartis

Haec mandaturus, ratio quia cognita certa est.

Quare, Particulo, fabellas dum expetis, esse 10

Quas Aesopeas dico, tamen haud Aesopi;

Ille quasi ediderit paucas, ego dissero plures,

Antiquum usurpans genus, et nova jugiter addens.

Quem tibi si volupe est oculis lustrare libellum,

Utcunque improbitas hunc obtrectare fit ausa, 15

Obtrectet sane, dum non imitarier ausit.

Quod tu, quodque tui similes transferre soletis

Verba mea in chartas, ac dignum creditis esse,

K 2

Qui

Dignumque longa judicatis memoria,

Illiteratum plausum nec desidero.

20

## I D E M P O E T A.

Aesopi nomen sicubi interposuero,

Cui reddidi jam pridem, quicquid debui,

Auctoritatis esse scito gratia:

Ut quidam artifices nostro faciunt saeculo,

Qui pretium operibus majus inveniant, novo 5

Si marmori adscripserunt Praxitelen suo,

Myronem argento. Plusvetustis nam favet

Invidia mordax, quam bonis praesentibus.

Sed jam ad fabellam talis exempli feror.

## F A B. I.

## D E M E T R I U S E T M E N A N D E R.

Demetrius, qui dictus est Phalereus,

Athenas occupavit imperio improbo,

Ut mos est vulgi, passim et certatim ruunt,

Feliciter subclamant. Ipsi principes

Illam osculantur, qua sunt oppressi, manum, 5

Tacite



Qui ferar ore hominum, mihi laus fat magna  
videtur,

Indoctum plaudat vulgus, spernatque, perinde  
est. 20

*Idem Poëta.*

Esse interpositum deprendis sicubi nomen  
Aesopi, pridem soleo cui reddere, quidquid  
Debeo; non aliud quaero, quam scripta probari.  
Artifices nostro faciunt ut tempore quidam,  
Inveniunt operi pretium qui majus, in horum 5  
Praxiteles si quis mentitur marmore nomen,  
Argentoque juvat trito adscripsisse Myronem.  
Nam faver antiquis plus livor et invida tabes,  
Quae, bona quantumvis fuerint, praesentia spernit.  
Nunc ergo exempli talis fabella sequetur. 10

F A B. I.

*Demetrius et Menander.*

Cecropis intravit domitam Demetrius urbem  
Ille Phalereus. Solito proin more ruebat  
Passim et certatim populus. Feliciter! omnes  
Succlamant. Ipsi, queis clarum nomen in urbe est,  
Oppressi qua sunt, manui dant oscula, tristem 5  
Fortu-

Tacite gementes tristem fortunae vicem,  
 Quinetiam resides, et sequentes otium,  
 Ne defuisse noceat, repunt ultimi;  
 In queis Menander nobilis comoediis,  
 Quas, ipsum ignorans, legerat Demetrius, 10  
 Et admiratus fuerat ingenium viri.  
 Unguento delibutus, vestitu adfluens,  
 Veniebat gressu delicato, et languido.  
 Hunc ubi tyrannus vidit extremo agmine,  
 Quinam cinaedus ille in conspectu meo 15  
 Audet venire? responderunt proximi:  
 Hic est Menander scriptor. Mutatus statim  
 „Compellat hominem blande, dextramque arripit.

## FAB. II.

## VIATORES ET LATRO.

„Viam expediti pariter carpebant duo;  
 „Imbellis alter, alter at promptus manu.  
 „Occurrit illis latro; et intentans necem,  
 „Aurum poposcit: Audax confestim irruens  
 „Vim vi repellit, ac ferro incautum occupat, 5  
 Et vindicavit sese forti dextera.

Latrone



Fortunam tacite secum, et sua damna gementes.  
 Quin etiam resides, atque otia lenta sequentes  
 Tandem, ne noceat, si defuerint, arrepunt.  
 Comicus est in quís, pernobilis arte Menander.  
 Ipsum non norat, sed scriptis saepe volutis, 10  
 Fecerat haud parvi magnam Demetrius artem.  
 Stillans unguento, multum undans divite amictu  
 Dirigere incessum languentem hic coeperat illo.  
 Agmine postremo quem gressum ferre tyrannus  
 Ut videt: Hic quisnam est? nostrum audeat ille  
 cinaedus 15  
 Tendere in adspectum? Quae fanti proxima reddit  
 Turba: Menander hic est. Mutatus, comiter illum  
 „Adfari, et digno maectare tyrannus honore.

## F A B. II.

*Viatores et Latro.*

(Ἀκέφαλον versiculis aliquot supplevimus.)  
 „Corripuere viam duo, quorum in pectore dispar  
 „Virtus atque animus, sed fida mente sodales.  
 „Hos saltum ingressos stricto mucrone petebat  
 „Latro. Terga, timens vitae, dabat ilicet unus.  
 Restitit, et forti se dextra vindicat alter. 5  
 Occiso adcurrit timidus latrone sodalis,

Latrone occiso, timidus accurrit comes,  
 Stringitque gladium: dein rejecta penula:  
 Cedo, inquit, illum; jam curabo sentiat  
 Quos adtentarit. Tunc qui depugnaverat; 10  
 Vellem istis verbis saltem adjuvisses modo,  
 Constantior fuisset vera existimans:  
 Nunc conde ferrum, et linguam pariter fulem,  
 Ut possis alios ignorantes fallere.  
 Ego, qui sum expertus quantis fugias viribus, 15  
 Scio, quod virtuti non sit credendum tuae.

Illi assignari debet haec narratio,  
 Qui re secunda fortis est, dubia fugax.

## FAB. III.

## CALVUS ET MUSCA.

Calvi momordit Musca nudatum caput:  
 Quam opprimere captans, alapam sibi duxit gra-  
 vem,  
 Tunc illa irridens: punctum volucris parvulae  
 Voluisti mortem ulcisci; quid facies tibi,  
 Injuriae qui addideris contumeliam? 5  
 Respondit: mecum facile redeo in gratiam,  
 Quia



Ac gladium stringens, rejecta ubi penula lum-  
bo est,

Ille ubi latro? cedo. curabo, ut sentiat, inquit,

Quos attentarit. Tunc, qui pugnaverat, alter:

Vellem, ut juvisses saltem hoc sermone; putanti 10

Vera loqui, multum crevisset mascula virtus.

Nunc ferrum, et linguam pariter, quia futilis,  
aufer,

Ut possis alios, qui ignorant, fallere. Vidi,

Vidi ego, quam fugias; qui, cum properantior  
euro es,

Virtuti nimium ne credam, nempe suades. 15

Haec illis poteris dicta assignare, secundis

Rebus qui fortes, dubiis dant terga fugaces.

## F A B. III.

*Calvus et Musca.*

Calvi musca caput nudatum sicca momordit,

Opprimere hanc captans, alapam sibi ducere  
calvus.

Quem musca irridens: Ulcisci morte cupisti

Parvae qui punctum volucris, tibi percitus olim

Quid facies, sua quem tam foede injuria plexit? 5

Falleris, haec in nos levis, aut nulla ira putanda est.

K 5

Laedit,

Quia non fuisse mentem laedendi scio:  
 Sed te, contempti generis animal improbum,  
 Quae delectaris bibere humanum sanguinem,  
 Optrem necare, vel majore incommodo. IO  
 Hoc argumentum, veniam magis dari docet,  
 Qui casu peccat, quam qui consilio est nocens:  
 Illum esse quavis poena dignum iudico.

## FAB. IV.

## HOMO ET ASINUS.

Quidam immolasset verrem cum sancto Herculi,  
 Cui pro salute votum debebat sua,  
 Afello iussit reliquias poni hordei.  
 Quas aspernatus ille, sic locutus est:  
 Tuum libenter prorsus adpeterem cibum, 5  
 Nisi qui nutritus illo est, jugulatus foret.

Hujus respectu fabulae deterritus  
 Periculosum semper reputavi lucrum,  
 Sed dicis; qui rapuere divitias, habent.  
 Numeremus, agedum, qui deprensi perierint: IO  
 Majorem turbam punitorum reperies.  
 Paucis temeritas est bono, multis malo.

FAB. V.



Laedit, laedendi cui mens. Facile ista feruntur,  
Teque animal generis contempri, prona libido  
Cui bibere humani guttas est sanguinis, optem  
Multo etsi fuerint majora incommoda, tolli. IO

Hoc argumento veniam dandam esse docemur,  
Casu qui peccat; non, quem studio esse nocentem  
Discimus: hunc dignum quavis puto vindice  
poena.

## F A B. IV.

*Homo et Asinus.*

Obstrictus voto verrem quidam admovet aris  
Alcidae sacrum. Quem postquam solvit honorem,  
Hordea praeberi, quae restant, jussit asello.

Ille cibum adspersans, haec fundere verba: Li-  
benter

Crede mihi, adpeterem quae ponis pabula, passus  
Hoc nisi nutritus, foret hic jugulatus ad aras. .

Hujus respectu fabellae territus, omne  
Ceum nocuum pridem devito et abhorreo lucrum.  
Cerno opibus, dicis, sibi qui rapuere, potentes.

Deprensos agetum numeremus, clade secuta. IO  
Major erit punitorum tibi turba reperta.

Multis est damno, fert fructum audacia paucis.

F A B. V.

## SCURRA ET RUSTICUS.

Parvo favore labi mortales solent,  
 Et pro iudicio dum stant erroris sui,  
 Ad poenitendum rebus manifestis agi.

Facturus ludos dives quidam nobiles,  
 Proposito cunctos invitavit praemio,  
 Quam quisque posset ut novitatem ostenderet.

Venere artifices laudis ad certamina,  
 Quos inter Scurra notus urbano sale,  
 Habere dixit se genus spectaculi,  
 Quod in theatro nunquam prolatum foret. 10

Dispersus rumor civitatem concitat:  
 Paulo ante vacua turbam deficiunt loca.  
 In scena vero postquam solus constitit,  
 Sine apparatu, nullis adiutoribus,  
 Silentium ipsa fecit expectatio. 15

Ille in sinum repente demisit caput,  
 Et sic porcelli vocem est imitatus sua,  
 Verum ut subesse pallio contenderent,  
 Et excuti juberent: quo facto, simul

Nihil



F A B. V.

*Scurra et Rusticus.*

Pravo homines labi contingit saepe favore.

Qui pro iudicio dum stant erroris; apertis,

Judicii ut pigeat, causis vincantur, oportet.

Dives ubi insignes quidam parat edere ludos,

Proposita canctos mercede invitat, ut artem 5

Quisque suam ostendat, sed quae novitate placeret.

Artifices tendunt laudum ad certamina multi.

In quis urbano sale notus scurra, professus

Rem miram. Ludi genus, ante haec tempora  
nunquam

Visum, monstrabo; vos, inquit, adeste frequen-  
tes. 10

Late igitur sparsus, sic rumor concitat urbem,

Turbam ut deficerent loca, quae paullo ante va-  
cabant.

Constitit in scena qui postquam solus, et omnis

Defuit adjutor, nec visa est pompa theatri;

Attentos mire facit expectatio rerum. 15

Ille repente sinu caput abdere, et adsimulare

Vocem porcelli. Quam sic imitatur, ut omnes

Verum veste tegi credentes; excute vestem,

Excute, clamarent. Quo facto, ubi fraude recondi

Turba

Nihil est repertum, multis onerant laudibus, 20

Hominemque plausu prosequuntur maximo.

Hoc vidit fieri rusticus: Non mehercule

Me vincet, inquit; et statim professus est,

Idem facturum melius se postridie.

Fit turba major: jam favor mentes tenet, 25

Et derisuri, non spectaturi sedent.

Uterque prodit. Scurra degrunnit prior,

Moverque plausus, et clamores fuscitat.

Tunc simulat sese vestimentis rusticus

Porcellum obtegere, quod faciebat scilicet, 30

Sed in priore quia nil compererant, latens

Pervellit aurem vero, quem celaverat,

Et cum dolore vocem naturae exprimit.

Adclamat populus: Scurram multo similius<sup>1</sup>

Imitatum, et cogit rusticum trudi foras. 35

At ille profert ipsum porcellum e sinu,

Turpemque aperto pignore errorem probans;

En hic declarat, quales fitis iudices.

POETA,

Adhuc supersunt multa, quae possim loqui,

Et copiosa abundat rerum varietas:

Sed



Turba nihil sentit, rem magno fervida plausu 20  
 Visam prosequitur, fundens praeconia scurrae.  
 Rusticus hoc vidit. Qui me non vicerit hercle  
 Scurra, inquit, postridie idem conabor, eritque  
 Causa, ob quam dicar multo praestantior arte.  
 Major tum turba est. Quae quod favet illius arti, 25  
 Derisura sedet, non spectatura colonum.  
 Prodit uterque. Prior degrunnit scurra, movetque  
 Plausum hominum, et magnos clamores suscitatur.

## Exin

Veste tegi simulans porcellum rusticus (id quod  
 Nimirum ille facit; tutoque, quod ante reper-  
 tum 30

Nil fuerat) vero, quem celat, vellicat aurem.  
 Cui sic naturae vocem dolor exprimit. Omnis  
 Adclamat populus: Multo scurra adsimulavit  
 Rectius, ille foras vobis tradatur agrestis.  
 Deinde sinu profert porcellum rusticus. Error 35  
 Turpis in aprico est. Quem monstrans pignore  
 aperto:

En! hic iudicibus, declarat, qualibus utar.

*Poëta.*

Dici quae possent, mihi restant multa. Redundat  
 Materia, ac visa est pleno mihi copia cornu.

Sed

Sed temperatae suaves sunt argutiæ:  
 Immodica offendunt. Quare, vir sanctissime,  
 Particulo, nomen chartis victurum meis, 5  
 Latinis dum manebit pretium literis,  
 Si non ingenium, certe brevitatem adproba,  
 Quae commendari tanto debet justius,  
 Quanto Poëtae sunt molesti validius.

## FAB. VI.

## DUO CALVI.

Invenit Calvus forte in trivio pectinem;  
 Accessit alter aequae defectus pilis,  
 Eja, inquit, in commune quodcunque est lucri.  
 Ostendit ille praedam, et adjecit simul;  
 Superum voluntas favit, sed fato invido, 5  
 Carbonem, ut ajunt, pro thesauro invenimus.  
 Quem spes delusit, huic querela convenit.

## FAB. VII.

## PRINCEPS TIBICEN.

Ubi vanus animus aura captus frivola  
 Abripuit insolentem sibi fiduciam,  
 Facile ad derisum stulta levitas ducitur.  
 Princeps tibicen notior paulo fuit,  
 Operam Bathyllo solitus in scena dare. 5  
 Is forte ludis, non satis memini quibus,

Dum



Sed modicae suaves argutiae, opinor, habentur,  
 Immodicae offendunt. Quare sanctissime nobis  
 Particulo, chartis victurum nomen ab hisce, 5  
 Si non ingenio, brevitati fautor adesto.  
 Quae tanto sese commendat justius, olim  
 Quanto censetur magis esse poeta molestus.

F A B. VI.

*Duo Calvi.*

Pecten ubi in trivio calvo esset forte repertus,  
 Alter adire, pilis aequae defectus; et eja  
 In commune, lucri quodcumque est, confer, amice.  
 Ille suam ostendit praedam, simul adjicit: Esse  
 Fautores video Superos, verum invida fata. 5  
 En! tibi thesaurum, qui factus carbo repente est.  
 Si quem delusit sua spes, huic aequa querela est.

F A B. VII.

*Princeps Tibicen.*

Vanus ubi, plebisque aura deceptus inani,  
 Exiit cristas animus: fiducia fallax,  
 Stultaque non raro levitas excepta cachinno est.  
 Princeps tibicen, qui nostro notior aevo,  
 Ille operam in scena solitus navare Bathyllo, 5  
 Ludis (haud memini, quibus) ut rapuere theatri  
 L Pegma,





Pegma, gravi casu, nec opinans concidit. Angor  
 Non levis et terror: nam tibia fracta sinistra est,  
 Ille duas mallet cum dextras perdere. Tollunt  
 Adstantes alto gemitus de corde trahentem, 10  
 Atque domum referunt. Aliquot curatio menses  
 Postulat, admotae vim donec sentiat artis.

Ut spectatorum mos, et lepidum genus horum,  
 Principis est desiderium, quia flatibus ejus  
 Accensus saltans, laeto se tollere saltu. 15

Ludos facturum quidam et miracula pompae,  
 Ingredier primum quo Princeps tempore coepit,  
 Adduxit pretio, precibus, tantummodo sese  
 Adveniente die ludorum ostenderet. Orta  
 Quae simul est, omnem mox de tibicine rumor 20  
 Implevit caveam. Quidam ajunt, funere mersum;  
 Quidam, in conspectum fore mox ut prodeat,  
 ajunt.

Aulaeo misso, factisque tonitribus, essent  
 Di translatio postquam pro more locuti,  
 Tum chorus imposuit, quem concinat ille re-  
 ductus 25

Sollemnem, cujus talis sententia, cantum:  
 Laetare incolumis, salvo tibi principe, Roma.  
 Confurgunt omnes, plaudunt, et basia jactant.

Tibicen, gratulari fautores putat.  
 Equester ordo stultum errorem intelligit; 30  
 Magnoque risu canticum repeti jubet.  
 Iteratur illud: homo meus se in pulpito  
 Totum profternit: plaudit inludens eques:  
 Rogare populus hunc coronam existimat.  
 Ut vero cuneis notuit res omnibus: 35  
 Princeps ligato crure, nivea fascia,  
 Niveisque tunicis, niveis etiam calceis,  
 Superbiens honore divinae domus,  
 Ab universis capite est protrusus foras.

## FAB. V III

## F A B. VIII.

## OCCASIO DEPICTA.

Curfu volucris pendens in novacula  
 Calvus, comosa fronte, nudo corpore,  
 Quem si occuparis teneas; elapsum semel  
 Non ipse possit Jupiter reprehendere:  
 Occasionem rerum significat brevem. 5

Effectus impediret ne fegnis mora,  
 Finxere antiqui talem effigiem Temporis.

F A B.



Ille putat, reduci gratari velle salutem.  
 Errorem stultum postquam ordo sensit equester, 30  
 Vult repeti cantum, petulanti splene cachinno.  
 Ergo iterant. In pulpito homo prostertere fese.  
 Plaudit eques, naso suspendens nequiter unco.  
 Victricem visus populo est sibi velle coronam.  
 Ut vero cuneis res notuit omnibus, amens 35  
 Tibicen, nivea exornat quem fascia crure,  
 Ac tunicae niveae, nivei quoque calcei; honorem  
 Divinae captare domus dum frivolus audet,  
 Protrusus capite est, vulgi quasi turbine facto.

## F A B. VIII.

*Karpòs seu Occasio depicta.*

Est, cursu volucris qui pendet corpore nudus,  
 Vertice qui calvus, sed prima fronte comosus,  
 Extremumque pedem, tu saeva novacula, tangis;  
 Quem tu si prendis, teneas, quicumque prendis.  
 Nam semel elapsam reprehendere Juppiter ipse 5  
 Arte queat nulla, valido non robore dextrae.

Cognosci rerum brevis hinc occasio debet.  
 Effectu careant ne lenta negotia segnis,  
 Temporis effigiem talem finxere priores.

## FAB. IX.

## TAURUS ET VITULUS.

Angusto in aditu Taurus luctans cornibus,  
 Cum vix intrare posset ad praesepia,  
 Monstrabat Vitulus quo se pacto flecteret:  
 Tace, inquit, ante hoc novi, quam tu natus es.

Qui doctiorem emendat, sibi dici puter. 5

## FAB. X.

## VENATOR ET CANIS.

Adversus omnes fortis veloces feras  
 Canis, cum domino semper fecisset satis,  
 Languere coepit annis ingravantibus.  
 Aliquando objectus hispidi pugnae suis,  
 Adripuit aurem, sed cariosis dentibus. 5  
 Praedam dimisit: hic tum venator dolens,  
 Canem objurgabat. Cui senex contra latrans;  
 Non te destituit animus; sed vires meae:  
 Quod fuimus laudas, jam damnas, quod non sumus.  
 Hoc cur, Philete, scripserim, pulcre vides. 10

---

 APPEN-



## F A B. IX.

*Taurus et Vitulus.*

Angustus tauro est aditus, praesepe petenti.  
 Quod vitulus cernens, luctanti cornibus inquit:  
 Hoc potius pacto te flectes. Ille: Tace, inquit,  
 Res pridem, et nondum te nato est cognita nobis,  
 Non emendandus temere est praestantior  
 alter. 5

## F A B. X.

*Venator et Canis.*

Trux canis et fortis cum saepius acre ferarum  
 (Res domino haud ingrata) genus prostrasset an-  
 helans,  
 Postremo languet. Casu spumantis ubi apri  
 Objicitur pugnae, suis et tunc arripit aurem,  
 At cito dimittit cariosis dentibus aurem. 5  
 Indoluit missa venator divite praeda.  
 Proinde canem objurgat. Cui latrans, fessus ab  
 annis:  
 Non animum mihi deesse puta, sed robur abesse.  
 Quod fuimus, laudas; quod non sumus, improbe,  
 damnas.  
 Haec quo pertineant, tu nosse, Philete, putaris. 10



APPENDIX.

FAB. I.

MILVIUS AEGROTANS.

**M**ultos cum menses aegrotasset Milvius,  
 Nec jam videret esse vitae spem suae,  
 Matrem rogabat, sancta circumiret loca,  
 Et pro salute vota faceret maxima.  
 Faciam, inquit, fili; sed opem ne non impetrem, 5  
 Vehementer vereor; tu qui delubra omnia  
 Vastando, cuncta polluisti altaria,  
 Sacrificiis nullis parcens, nunc quid vis, rogem?

FAB. II.

LEPORES VITAE PERTAESI.

Qui sustinere non potest suum malum,  
 Alios inspiciat, et discat tolerantiam.

Aliquando in silvis strepitu magno conciti  
 Lepores clamant, se propter adfidos metus  
 Finire velle vitam. Sic quendam ad lacum 5  
 Venerunt, miseri quo se praecipites darent.  
 Adventu quorum postquam ranae territae  
 Virides in algas misere fugientes ruunt:

Heu!



A P P E N D I X.

F A B. I.

*Milvus aegrotans.*

**M**ultos traxisset cum menses corpora milvus  
Aegra, paruinque spei jam fractus membra  
videret,

Sancta ut circuiret loca, matrem voce rogabat,  
Proque salute sua faceret, quae maxima posset  
Vota. Placet, fili, sed opem ne ferre recusent  
Dî, vereor. Tibi namque, inquit, delubra Deorum  
Vastata, et quaevis polluta altaria, sacris  
Parcenti nullis. Ecqua præce numina flectam?

F A B. II.

*Lepores vitae pertaesi.*

Ferre suum quicumque malum nequit, aspera fati,  
Inspiciens alios, tolerare incommoda discat.

In silvis lepores strepitus percellit ubi, ingens,  
Affiduum propter, clamant, se velle timorem  
Claudere fata. Lacum sic accessere, daturi  
Praecipites illic juncto sese agmine. Quorum  
Cum subitus ranas adventus terruit, algas  
Hae misere in virides fugiant. Heu! sunt, ait unus,

L 5

Quos

Heu! inquit unus, sunt et alii, quos timor  
Vexat malorum. Ferte vitam, ut caeteri. 10

## F A B. III.

## VULPES ET JUPITER.

Naturam turpem nulla fortuna obtegit.

Humanam in speciem cum vertisset Juppiter  
Vulpem, regali pellex ut sedit throno,  
Scarabaeum vidit prorepentem ex angulo,  
Notamque ad praedam celeri profiluit gradu. 5  
Superi risere, magnus erubuit pater,  
Repudiatam turpemque pellicem expulit;  
His profecutus: Vive, quo digna es, modo,  
Quae nostris uti meritis digne non potes.

## F A B. IV.

## LEO ET MUS.

Ne quis minores laedat, fabula haec monet.

Leone in silva dormiente, rustici  
Luxuriabant mures, et unus ex iis  
Super cubantem casu quodam transiit.  
Expergefactus miserum leo celeri impetu 5  
Arripuit; ille veniam sibi dari rogat,  
Crimen fatetur, peccatum imprudentiae.  
Hoc Rex ulcisci gloriosum non putans,  
Ignovit et dimisit. Post paucos dies

Leo



Quos aequè vexat timor et formido malorum.  
 Vos ferte, ut reliqui, vitam; fors omnibus una est. 10

F A B. III.

*Vulpes et Jupiter.*

Naturam turpem fortuna haud obtegit ulla.

Humanam in speciem convertit Juppiter olim  
 Vulpem. Quae folio cum pellex compta refedit,  
 Ad prorepentem scarabaeum, nota palato  
 Res quoniam invitat, confestim profilit. Ob quod 5  
 Cum Superi rident, magnus Pater erubuisse  
 Dicitur, et turpem mox pellicem abegit, euntem  
 Castigans: Hoc vive modo, quo, putida, digna es,  
 Quae nostris uti meritis vesana nequisti.

F A B. V.

*Leo et Mus.*

Ne tennes laedas, haec te fabella monebit.

In silva somno leo cum frueretur, agrestes  
 Luxuriabantur mures. Unum abripit error,  
 Ut super illius transiret dorso cubantis.  
 Expergefactus miserum leo martius ungue 5  
 Arripit; ille sibi veniam rogat, esse professus  
 Crimen: verum, inquit, non fontis culpa, sed error.  
 Hoc rex ulcisci quoniam putat esse indignum,  
 Ignovit, murem dimittens. Non ita multo

Post

Leo dum vagatur noctu, in foveam decedit. 10  
 Captum ut se agnovit laqueis, voce maxima  
 Rugire coepit; cujus immanem ad sonum,  
 Mus subito accurrens: Non est, quod timeas, ait,  
 Beneficio magno gratiam reddam parem.  
 Mox omnes artus, artuum et ligamina 15  
 Lustrare coepit, cognitosque dentibus  
 Nervos rodendo laxat ingenia artuum.  
 Sic captum mus leonem filvis reddidit.

F A B. V.

## HOMO ET ARBORES.

Pereunt, suis auxilium qui dant hostibus,  
 Facta bipenni, quidam ab arboribus petit,  
 Manubrium ut darent e ligno, quod foret  
 Firmum: jusserunt omnes oleastrum dari.  
 Accepit munus, aptans et manubrium, 5  
 Coepit securi magna excidere robora.  
 Dumque eiigebat, quae vellet, sic Fraxino  
 Dixisse fertur Quercus, merito caedimur.

F I N I S.



Post leo nocte vagans, foveam delapsus in altam, 10  
 Ut laqueis captum se agnovit, voce tremenda  
 Rugire immensum. Quem mus simulatque fre-  
 mentem

Audiit, accurrens: Nil, inquit, triste timendum,  
 Gratia nam magno tibi erit par reddita dono.  
 Mox omnes artus, horumque ligamina coepit 15  
 Lustrare, et reperit quos nervos, naviter instans  
 Dentibus ac rodens, dissolvit, et arte relaxat.  
 Sic captum silvis mus reddidit ille leonem.

F A B. V.

*Homo et Arborea.*


Hostibus auxilium qui dant, his proxima clades.  
 O Facta bipennis erat cuidam: petere ille ma-  
 nubrio

Utile ab arboribus lignum. Firmumque petenti  
 Jusserunt omnes oleastrum porgere donum.  
 Accepit munus, factumque manubrium. At ipsa 5  
 Acutum ferro concidere robora coepit.  
 Qui cum quae vellet, legeret, tum fraxino apricae  
 Quercus: in aprico est, merito nos caedier, inquit.

F I N I S.

MURES

*In Gausang  
 1811*



## MURES EX HORATIO;


*lib. II. Sat. VI. a vers. 80. ad fin.*

**R**usticus urbanum murem mus paupere fertur  
 Accepisse cavo, veterem vetus hospes ami-  
 cum;

Asper, et attentus quaesitis, ut tamen arctum  
 Solveret hospitiiis animum. Quid multa? neque illi  
 Sepositi ciceris, nec longae invidit avenae; 5  
 Aridum et ore ferens acinum, semelaeque lardi  
 Frustra dedit, cupiens varia fastidia coena  
 Vincere, tangentis male singula dente superbo:  
 Cum pater ipse domus palea porrectus in horna  
 Effet ador loliumque, dapis meliora relinquens. 10  
 Tandem urbanus ad hunc; Quid te juvat, inquit,  
 amice,

Praerupti nemoris patientem vivere dorso?  
 Vis tu homines, urbemque feris praeponere silvis?  
 Carpe viam (mihi crede) comes: terrestria quando  
 Mortales animas vivunt sortita; nec ulla est 15  
 Aut magno aut parvo lethi fuga. Quo, bone, circa  
 Dum licet, in rebus jucundis vive beatus:  
 Vive memor, quam sis aevi brevis. Haec ubi dicta  
 Agrestem pepulere; domo levis exsilit. Inde  
 Ambo propositum peragunt iter, urbis avētes 20  
 Moenia nocturni subreperē. Iamque tenebat  
 Nox medium coeli spatium, cum ponit uterque  
 In locuplete domo vestigia, rubro ubi cocco  
 Tineta





Tincta super lectos canderet vestis eburnos,  
Multaque de magna supereffient fercula coena; 25  
Quae procul extructis inerant hesterni can-  
nistris.

Ergo ubi purpurea porrectum in veste locavit  
Agrestem, veluti succinctus cursitat hospes,  
Continuatque dapes, nec non vernaliter ipse  
Fungitur officiis, praelambens omne, quod  
affert. 30

Ille cubans gaudet mutata forte, bonisque  
Rebus agit laetum convivam: cum subito in-  
gens

Valvarum strepitus lectis excussit utrumque.  
Currere per totum pavidi conclave, magisque  
Exanimes trepidare, simul domus alta Molossis 35  
Personuit canibus. Tum rusticus: Haud mihi  
vita

Est opus hac, ait, et valeat: me silva, cavusque  
Tutus ab infidiis tenui solabitur ervo.


## VULPECULA ET MUSTELA.

*Horat. Lib. I. Epist. VII. a vers. 29.  
ad vers. 33.*

Forte per angustam tenuis vulpecula rimam  
Repererat in cumeram frumenti: pastaque rursus  
Ire foras pleno tendebat corpore frustra.  
Cui mustela procul; Si vis, ait, effugere isthinc,  
Macra cavum reperas arctum, quem macra subisti. 5

---

INDEX



I N D E X  
F A B U L A R U M P H A E D R I.

Numerus prior librum, alter fabulam indicat.

|                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                      |                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                 |
|------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|-----------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|
| <p><b>A</b>esopus ad garrulum<br/>III. 19.</p> <p>Aesopus ludens III. 14.</p> <p>Aesopus interpret testamenti IV. 4.</p> <p>Aesopus et petulans<br/>III. 7.</p> <p>Agnus a capellis nutritus III. 15.</p> <p>Anus ad amphoram<br/>III. 1.</p> <p>Apes et fuci vespa iudice III. 13.</p> <p>Aquila, cornix et testudo II. 6.</p> <p>Aquila, felis et aper<br/>II. 4.</p> <p>Arbores in Deorum tutela III. 17.</p> <p>Afinus ad senem pastorem I. 15.</p> <p>Afinus et Galli III. 20.</p> <p>Afinus et leo venantes<br/>I. 11.</p> <p>Caesar ad atriensem II. 5.</p> <p>Calvus et musca V. 3.</p> <p>Calvus repente s. Anus diligens virum aetatis</p> | <p>mediae, item Puella<br/>II. 2.</p> <p>Calvi duo V. 6.</p> <p>Canes famelici I. 20.</p> <p>Canis et crocodilus I. 25.</p> <p>Canis et lupus III. 7.</p> <p>Canis fidelis I. 23.</p> <p>Canis parturiens I. 19.</p> <p>Canis per fluvium carnem ferens I. 4.</p> <p>Canis, thesaurus et vulturius I. 27.</p> <p>Canum legati ad Jovem<br/>IV. 17.</p> <p>Capellae et hirci IV. 15.</p> <p>Cervus et boves II. 8.</p> <p>Cicada et Noctua III. 16.</p> <p>Demetrius et Menander<br/>V. 1.</p> <p>Epilogus ad Eutychem<br/>IV. 25.</p> <p>Equus et aper IV. 3.</p> <p>Eunuchus ad improbum<br/>III. 11.</p> <p>Fornica et musca IV. 23.</p> <p>Frater et soror III. 8.</p> <p>Fur aram compilans<br/>IV. 10.</p> |
|------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|-----------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|

ZACMI

Gracu-





## INDEX FABULARUM PHAEDRI.

- |                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                            |                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                |
|--------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|----------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|
| <p>Graculus superbus I. 3.<br/>         Gubernator et nautae<br/>           IV. 16.<br/>         Hercules et Plutus f. Ma-<br/>           las esse divitias IV. 11.<br/>         Homo et Asinus V. 4.<br/>         Homo et canis II. 3.<br/>         Homo et colubra IV. 18.<br/>         Invidia virtutum co-<br/>           mes, libri secundi<br/>           Epilogus II. 9.<br/>         Leo regnans IV. 12.<br/>         Leo sapiens f. Juvencus,<br/>           leo et praedator II. 1.<br/>         Leo senio confectus f.<br/>           Leo fenex, aper, tau-<br/>           rus et asinus I. 21.<br/>         Lupus et agnus I. 1.<br/>         Lupus et grus I. 8.<br/>         Lupus et vulpes iudice<br/>           simio I. 10.<br/>         Margarita in sterquili-<br/>           nio f. Pullus ad mar-<br/>           garitam III. 12.<br/>         Milvus et columbae<br/>           I. 31.<br/>         Mons parturiens IV. 22.<br/>         Muli et latrones II. 7.<br/>         Musca et mula III. 6.<br/>         Mustela et homo I. 22.<br/>         Mustela et mures IV. 1.<br/>         Occasio depicta V. 8.</p> | <p>Ovis, canis et lupus<br/>           I. 17.<br/>         Ovis et cervus I. 16.<br/>         Panthera et pastores<br/>           III. 2.<br/>         Passer et lepus I. 9.<br/>         Pavo ad Junonem III.<br/>           18.<br/>         Perae Jovis f. de vitiis<br/>           hominum IV. 9.<br/>         Phaedrus de fabulis<br/>           IV. 20.<br/>         Phaedrus in fabularum<br/>           censores IV. 6.<br/>         Princeps tibicen V. 6.<br/>         Pugna murium et mu-<br/>           stelarum IV. 5.<br/>         Rana rupta I. 24.<br/>         Ranae ad solem I. 6.<br/>         Ranae metuentes tau-<br/>           rorum proelia I. 30.<br/>         Ranae regem postulan-<br/>           tes I. 2.<br/>         Res gesta sub Augusto,<br/>           f. Poeta de Credere<br/>           et non Credere III.<br/>           10.<br/>         Scurra et rusticus V. 5.<br/>         Simii caput III. 4.<br/>         Simonides a Diis serva-<br/>           tus IV. 24.</p> |
|--------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|----------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|

M

Simo-

## INDEX FABULARUM PHAEDRI.

|                                                                                          |     |                                                                                         |
|------------------------------------------------------------------------------------------|-----|-----------------------------------------------------------------------------------------|
| Simonidis naufragium<br>IV. 21.<br>Socrates ad amicos<br>III. 9.<br>Sutor medicus I. 14. |     | Vulpes et hircus IV. 8.<br>Vulpes et uva IV. 2.<br>Vulpes ad personam<br>tragicam I. 7. |
| Taurus et vitulus V. 9.                                                                  |     | Appendix Gudii.                                                                         |
| Vacca, capella, ovis et<br>leo I. 5.                                                     |     | Fab. I. Milvius aegro-<br>tans.                                                         |
| Venator et canis V. 10.                                                                  | - - | II. Lepores vitae<br>pertaesi.                                                          |
| Viatores et latro V. 2.                                                                  | - - | III. Vulpes et Ju-<br>piter.                                                            |
| Vipera et lima IV. 7.                                                                    | - - | IV. Leo et mus.                                                                         |
| Vulpes et aquila I. 28.                                                                  | - - | V. Homo et arbo-<br>res.                                                                |
| Vulpes et ciconia I. 26.                                                                 | - - |                                                                                         |
| Vulpes et corvus I. 13.                                                                  | - - |                                                                                         |
| Vulpes et draco IV. 19.                                                                  | - - |                                                                                         |

F I N I S.

---

AD



AD CALCEM REIECTA.

LIB. I. FAB. XVIII.

MULIER PARTURIENS.

Nemo libenter recolit, qui laesit locum.

Instante partu, mulier, actis mensibus,  
Humi jacebat, flebiles gemitus ciens.

Vir est hortatus, corpus lecto reciperet,  
Onus naturae melius quo deponeret.

Minime, inquit, illo posse confido loco  
Malum finiri, quo conceptum est initio.

5

LIB. I. FAB. XXIX.

ASINUS IRRIDENS APRUM.  
Plerumque stulti risum dum captant levem,  
Gravi destringunt alios contumelia,  
Et sibi nocivum concitant periculum.

Asellus apro cum fuisset obvius,  
Salve, inquit, frater. Ille indignans repudiat  
Officium, et quaerit, cur sic mentiri velit?

Asinus demisso pene: si similem negas  
Tibi me esse, certe simile est hoc rostro tuo.  
Aper cum vellet facere generosum impetum,

Repressit iram: Er, facilis vindicta est mihi:  
Sed inquinari nolo ignavo sanguine.

5

10

LIB. III. FAB. III.

AESOPUS ET RUSTICUS.  
Ufu peritus hariolo velocior

Vulgo esse fertur: caussa sed non dicitur:  
Notescet quae nunc primum fabella mea.

Habenti cuidam pecora pepererunt oves  
Agnos humano capite. Monstro exterritus  
Ad consulendos currit moerens hariolos.

Hic pertinere ad domini respondet caput,  
Et avertendum victima periculum.

Ille autem adfirmat conjugem esse adulteram,

5

E-

Et insitivos significari liberos: 10  
Sed expiari posse majori hostia.  
Quid multa? variis dissident sententiis;  
Hominisque curam cura majore adgravant.  
Aesopus ibi stans, naris emunctae fenex,  
Natura nunquam verba cui potuit dare: 15  
Si procurare vis ostentum, Rustice,  
Uxores, inquit, da tuis pastoribus.

LIB. IV. FAB. XII.

LEO REGNANS.

Utilius homini nihil est, quam recte loqui;  
Probanda cunctis est quidem sententia,  
Sed ad perniciem solet agi sinceritas.  
Quum se ferarum Regem fecisset leo,  
Et aequitatis vellet famam consequi, 5  
A pristina deflexit consuetudine,  
Atque inter illas tenui contentus cibo,  
Sancta incorrupta jura reddebat fide.

\* \* \* \* \*

*Supplevit fabulam Burmannus, et ex Romulo  
et Rimicio in Phaedri metrum ita reduxit:*

Post quae ut labare coepit poenitentia,  
Naturam cum mutare non posset suam,  
Deducit aliquas in secretum, ut falleret;  
Et an foeteret os sibi cum quaereret,  
Quae dixerant putere, et quae negaverant, 5  
Laniabat omnes, et satur fit carnibus.  
Cum multis faceret hoc, et Simium vocat  
Ad se, rogatque, an os haberet putidum.  
Hic cinnamomo olere dixit suavius  
Et ture, flagrant quo deorum altaria, 10  
Erubuit laudes, nec nocere sustinet  
Rex; sed pudore salvo ut laederet, dolos  
Quaesivit, et languorem simulans advocat

Medi-



Medicos, tentatis qui venarum pulsibus,  
Negant se morbum posse deprehendere. 15  
Sed suadent, natum ex insueto fastidium  
Cibo, jam suaviore tolleret dape.  
Hic ille; nullam sic carnem desidero,  
Ac Simii, non ante gustatam mihi;  
Datam sed fallere prohibet pudor fidem. 20  
Quodcunque medici, facere, Rex, libet, tibi  
Licet, respondent, ceteris ut regibus:  
Et pro dolore fas est nos mori tuo,  
Non vita tantum. adducitur mox simius;  
Qui quanta poena, didicit, ad regem loqui, 25  
Et quam tacere sit tormentum maximum.

LIB. IV. FAB. XIII.

\* \* \* \* \*

Adfitione veretri linguam mulieris,  
Adfinitatem traxit inde obscenitas.

LIB. IV. FAB. XIV.

Rogavit alter, tribadas, et molles mares  
Quae ratio procreasset? exposuit senex:  
Idem Prometheus auctor vulgi fœtilis,  
Qui, simul offendit ad fortunam, frangitur;  
Naturae partes, veste quas celat pudor, 5  
Cum separatim toto finxisset die,  
Aptare mox, ut posset corporibus suis,  
Ad coenam est invitatus subito a Libero.  
Ubi irrigatus multo venas nectare,  
Sero domum est reversus titubanti pede; 10  
Tum semisomno corde, et errore ebrio  
Adplicuit virginale generi masculino,  
Et masculina membra adplicuit feminis.  
Ita nunc libido pravo fruitur gaudio.

FINIS.

M 3

Notu-

Notulas hic aliquot subijcio, ne, qui metri non fa-  
tis gnari sunt, pro mendis habeant, quae  
non sunt.

In textu Phaedri.

Lib. I. Fab. III. v. 7. Parisiensis editor: *Immiscet*,  
pro *Immiscuit*: quem secuti sumus. Eliden-  
dum u in Immiscuit.

Lib. I. Fab. XIII. v. 1. et 2. Variat hic lectio.  
Alii:

Qui se laudari gaudent verbis subdolis,  
Serae dant poenas turpes poenitentiae. Item:  
Sera dant poenas turpes poenitentia.

Lib. III. Fab. II. v. 4. *Alii onerant* faxis. In  
his duplex elisio, aut ut apud Virg. Fluvjorum  
rex, sic hic alji onerant. Mallet Burmann. Illi  
onerant.

Lib. III. Fab. IV. v. 2. Inter *reliquas* merces.  
Reliquas legendum quasi *relicuas*. Sunt, qui  
pro reliquas ediderunt *relictas*.

Lib. III. Fab. XV. v. 12. *Beneficium magnum*.  
Laborat versus, quem tamen omnes edidi ha-  
bent. *Beneficium ingens* si legeres, consuleres  
metro.

Lib. III. Fab. XVIII. v. 15. ad querelam *recidat*.  
Primam in recidat productam vides, aliorum  
utique exemplo. Scribimus rettulit, repperit:  
sed in scribendo c illud geminari, usus vetat.

Lib. III. Fab. XX. v. 4. Galli *Cybebes*. Utrum-  
que dicitur recte, *Cybele* et *Cybebe*: metrum  
videlicet ut postulat. In hunc modum etiam  
*corcodilus* et *crocodilus*.

Lib.



Lib. 7

Pe

ac

Ead

L

ivam :

mal :

xa-



Zimmer 39 194 Jan  
X 2399429

G. Schönberg  
G. Schoenberg

Quint  
S. Schönberg

Schönberg


Schönberg

R









957

PHAEDRI  
FABULARUM  
AESOPIARUM

LIBRI V.

CUM  
PROGYMNASMATE POETICO,  
SEU  
METAPHRASI SENARIORUM.

IN USUM SCHOLARUM,  
STUDIO  
M. T. A.



L I P S I A E,  
APUD WILH. GOTTL. SOMMERUM.  
M DCC LXXII.